Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

~~Recht 16. 31.~~
KW 297
D 4
1-2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

komt agter bij

Den naakten Canonich ontbloot, vertoont in het Theologis advijs Sam. Maresii, door S.P.V.D.M. 11 Aug. 1658.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

SAMUELIS MARESII
S. S. Theologiæ Doctoris & Profeſſoris,

JUDICIUM ET RESPONSUM THEOLOGICUM,

*Conforme Decreto Synodi Nationalis Eccleſiarum Fœderati Belgii celebratæ Medioburgi anno 1581.
ac illius confirmativum,*

AD

QUÆSTIONEM SIBI PROPOSITAM

DE

CANONICIS ULTRAIECTINIS

Qui Reformatam Religionem profitentur.

*Editio Secunda, Priori auctior, maximè
hinc inde inſperſâ Refutatione eorum quæ
illi, poſtquam prodiit, oppoſita fuêre.*



GRONINGÆ,

Typis FRANCISCI BRONCHORSTII, Civitatis Groninganæ Ordin. Typogr. ANNO 1657.

KONINKL.
BIBLIOTHEEK
TE 'SHAGE.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

Nobiliſsimis, Ampliſsimis, Magnificis, Doctiſsimis & Prudentiſsimis VIRIS,

Dominis Decanis cœteriſque quinque Collegiorum Ultrajectenſium Canonicis,

SAMUEL MARESIUS,

S. P. D.

QUæ hic de Vobis diſſerenda ſuſcepi, Vobis quoque non aliis cenſui offerenda: Nullum cacoethes cum quoquam litigandi, nulla ſcripturiendi prurigo, me impulit ad hunc laborem: Nec illum ſuſcepi quod in Republica aliena fuerim curioſus: Sed quicquid hîc eſt opellæ, mihi extorſit meæ Vocationis ratio, in medio Occupationum continuarum & graviſſimarum, quibus privatim & publicè ſtudeo benè mereri de Eccleſia & Publico; Ea namque eſt conditio eorum qui S. S. Theologiam in Academiis profitentur, ut ad Quæſtiones ſibi propoſitas, quæ vel Fidem ſpectent vel Mores, ſi præſertim proponantur à Viris quibuſdam conditionis Eminentioris, neque ex mera curioſitate agentibus, reſpondere teneantur. Fateor equidem nos hac in parte ſatis lubrico conſiſtere loco; Tacere enim & nolle profiteri quid ſentiamus, omnibus tamen debitores, ignavum nimis foret, imò penitùs indignum

 noſtro

noſtro Munere; Reſpondere verò ex animi ſententia non caret periculo, præſertim in Caſu de quo non omnes idem ſentiant; Sic enim, hoc maximè eriſtico ſæculo, quo plerumque ſiniſtrâ ſumitur quod dabatur dextra, ſæpiùs noſtro reſponſo, ceu vento Cæſiâ, atras nubes & nimbum denſum nobis attrahimus jurgiorum & litium, quæ etiam non rarò ex Civilibus in Criminales abeunt. Sed interea tamen apud homines cordatos debet vincere amor recti, ut freti bonæ Conſcientiæ teſtimonio, ſemper & ubique citra προσωποληψίαν, quam credunt Veritatem eloqui & profiteri audeant; parati vel ſuum errorem corrigere, ſi erraſſe convincantur, vel ſua tueri, ſi injuſtè impugnentur. Et quamvis non una me ſolicitudo tenuerit in hac exaranda qualicunque Scriptione, omnem tamen excuſſi metum præpoſterum de illius eventu, quem cenſui committendum Providentiæ Divinæ, ex quo apud me reputavi hanc Cauſam tot ſolidarum rationum, etiam ex Dei Verbo, columnis ſubnixam, & Politicis & Eccleſiaſticis Viris in hoc Belgio Fœderato gratam eſſe debere, imò utriſque peracceptam fore vehementer ſperavi. Illis equidem, quod ſpectet ad Legem fundamentalem Reip. Veſtræ, quam illibatam & inconcuſſam manere, bonorum omnium intereſt; His verò quod non aliò hîc collimem quam pro-

pugnandæ authoritati Synodi Nationalis Mediobur-
gi celebratæ anno 1581. cujus Decretum, jam tum
de Veſtro Ordine factum, omninò retinendum &
in arce reponendum pertendo; Ut hac ægide tectus,
illo fretus clypeo, ſatis me credam tutum ab omni-
bus telis; cùm reverâ, teſte Gentium Apoſtolo, ni-
hil poſſimus contra Veritatem ſed pro Veritate; &
quamdiu Alectoriam hanc gemmam mecum geſta-
vero, in iis quæ ſunt meæ Vocationis & Profeſſio-
nis pergam intrepidus, & hominum ſecurus ea ſcri-
bam & dicam quorum ex dictamine Conſcientiæ
rationem queam reddere Domino meo. Quin autem
hoc qualecunque Opuſculum, quo Veſtri Status &
Ordinis legitima in utroque foro, ſoli & poli, con-
ditio eſſe demonſtratur, Vobis ſit gratum & acce-
ptum futurum, & ſicubi opus fuerit Veſtræ Autho-
ritatis umbone propugnandum, nullus dubito:
Ac ſicut Vobis injucundum non erit videre quod
ſint inter homines noſtræ Profeſſionis qui de Veſtra
honeſtè ſentiunt, nec aliorum quorundam præju-
diciis in contrarium ſe abripi patiuntur, ita mihi
volupe erit percipere quod hæc mea Lucubratio
Vobis non ingrata fuerit. Et ſi illam eo exceperi-
tis animo quo à me offertur, non me pœnitebit ope-
ræ in ea exaranda collocatæ. Interea Deum Opti-
mum Maximum venerabor, ut illi Veſtræ Reipu-
blicæ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

blicæ, cujus primum conſtituitis membrum, affatim benedicat, ac Vobis omnibus & ſingulis, Conſtantiam in Virtute & Veritate, Gloriæ ſuæ promovendæ pium Zelum, ſincerum Orthodoxæ Religionis, quam profitemini, retinendæ & propagandæ Studium continuet, atque hunc ineuntem Annum novum, cum multis aliis ſequuturis fauſtum & fœlicem eſſe jubeat. Ita vovebam Groningæ XI. Kal. Januarias anni reparatæ Salutis noſtræ MDCLVII.

PRÆ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

PRÆLOQUIUM AD LECTOREM CHRISTIANUM.

NOli credere, *Benevole Lector*, hanc Scriptionem eſſe eriſticam, aut adſcribendam Spiritui Contradictionis: Non inficior equidem Viros quosdam Magnos aliter ſentire de hoc Caſu; Sed ut ex Lege Charitatis non debeo ſuſpicari eorum Lucubrationes Eruditas ex profeſſo eſſe in me adornatas, licet in illis ſubinde vocer ad partes, meaque hac de Quæſtione ſententia, quam hactenus & ante multos annos, non uno meorum Scriptorum publicorum loco, ſolemniter expreſſi & ſuſtinui, directè impetatur; ita omnibus bonis id velim perſuaſiſſimum, neminem me ex profeſſo hic impugnare; imò illos ipſos à quibus diſſideo magni facere: cùm in eo tantùm ſim ut ad Quæſtionem mihi propoſitam, ex dictamine Conſcientiæ & pro ratione Officii quod mihi incumbit, reſpondeam. Nolle enim Theologum Profeſſorem ad Caſus ſibi propoſitos reſpondere, foret hominis aut in ſuo Munere prævaricatoris, aut qui nollet vel puſillanimitatis vel ſuperbiæ notam evitare. Neque ab eo deterreri debet magnis eorum Nominibus à quibus diſſentit: Nam *Diſſentire bonos etiam de rebus iiſdem, Incolumi licuit ſemper amicitiâ.* Amicus Plato, amicus Ariſtoteles, ſed magis amica Veritas: Quin ex parte tantum novimus & ex parte prophetamus; Ac ſæpè fit ut aliàs concordes maneant Viatores, quorum tamen alter rotundam eminus aſſerit turrim, quam alter ex Optices principiis quadratam pronunciat. Quandoque etiam olitor opportuna verba loquitur, & aliquando plus eſt Verita-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

Veritatis penes unum Micam, quam penes Tſikidjam ſtipatum quadringentis aliis. Quanquam neque hîc ſolus ſim, qui propugno integrarum Synodorum Nationalium de hoc ipſo Caſu deciſiones; mihique adſtipulantes, cum praxi univerſali noſtræ Reformationis, magnos Theologos habeo. Imò ut ex eadem cauſa effectus oppoſiti naſcuntur, & ex iiſdem literis per anagramma tranſpoſitis fiunt vocabula ſignificationis contrariæ, ita non rarò eadem Charitas circa rem eandem contraria tamen profert Judicia; Qui cauſæ Canonicorum adverſantur, agunt forte ex Charitate, quod metuant eorum ſaluti, ut *res eſt ſoliciti plena timoris amor*, ac etiam tuta quæque metuere ſolet; Ita viceverſâ ex Charitatis Chriſtianæ officio ſcripta ſunt quæcunque hîc leges in ipſorum gratiam. Nam Charitatis eſt ſuccurrere cauſæ præjudiciis minus juſtis oppreſſæ; & fama proximorum iniquiùs laborans multo juſtiùs propugnanda eſt, quam ſub Lege Moſaica ſublevandus & erigendus erat aſinus inimici privati fatiſcens ſub onere. Ad hanc autem Quæſtionem publicè reſpondeo, quod non fuerim conſultus ita privatim, ut potuerim ſperare meum reſponſum manſurum privatum, in Caſu qui tot ſcriptis eriſticis publicè cœpit ventilari, etſi ipſemet illud non evulgarem. Tum nullius magis pudet & erubeſcit Veritas quam latere; ac viri honeſti & cordati eſt publicè profiteri quod ſentiat, nec Veritatem Dei captivam in ſua injuſtitia detinere. Rogo autem enixè omnes Lectores, ut præjudiciis omnibus tantiſper ſepoſitis, attendant ad ea quæ propono argumenta, neque hæc legant tanquam ſi jam Veritatem reperiiſſent, ſed ut eam inquiſituri. Alexander alteram aurium ſuarum reo ſervabat. Rem cum re, cauſam cum cauſa, rationem cum ratione, debent conferre,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

ferre, quotquot præcipitati judicii nolunt accuſari. Si cui hæc noſtra non placuerint, benè merebitur de Publico & de me, dando meliora. Imò ſi quis certiora meis habuerit, meaque refutare aggredietur, eum per viſcera Miſericordiæ Divinæ obteſtor, ut id faciat in Spiritu Lenitatis & Charitatis; ac miſſis jurgiis & perſonalibus noſtro ordine indignis, me κατὰ πόδα ſequatur, & unius Veritatis Triumpho ſtudeat, cui ſanctè proteſtor me hîc litare; Si certiora me docuerit, ipſi publicè gratias agam; Si verò pacificè & Chriſtianè ſcrupulos ſuos circa meam ſententiam propoſuerit, eodem planè animo ſecum agam, in illis pro mea virili parte eximendis. Saltem cùm hæc Quæſtio ſit ex earum genere circa quas Libertas quædam prophetandi in noſtris Eccleſiis conceſſa eſt, ut liberè fero quemlibet hîc in ſuo ſenſu abundare, ſic putem eandem libertatem non poſſe invideri mihi, in hoc noſtro Belgio omnium Doctorum Theologiæ Seniori. In libera ſanè Republica liberas linguas eſſe decet, & ita regnare nolim ut liber non ſim mihi. Hîc itaque liceat mihi uſurpare verba mei Auguſtini *lib.* 1. *de Trinit. cap.* 3. *Quiſquis hæc legit ubi pariter certus eſt, pergat mecum, ubi pariter hæſitat, quærat mecum; ubi errorem ſuum cognoſcit, redeat ad me; ubi meum, revocet me: Ita ingrediamur ſimul Charitatis viam, tendentes ad eum de quo dictum, Quærite faciem ejus ſemper. Qui vero hæc legens dicit, intelligo quidem quid dictum ſit, ſed non verè dictum eſt; aſſerat ſi placet ſententiam ſuam, & redarguat meam ſi poteſt; Quod ſi cum charitate & veritate fecerit, mihique etiam, ſi in hac vita maneo, cognoſcendum facere curaverit, uberrimum fructum hujus laboris mei cepero; Quod ſi mihi non potuerit quibus id potuerit me volente ac libente præſtiterit, ego tamen in lege Domini meditor, ſi non die ac*

nocte, ſaltem quibus temporum particulis poſſum; & meditationes meas ne oblivione fugiant ſtylo alligo: ſperans de miſericordia Dei, quod in omnibus veris quæ certa mihi ſunt, perſeverantem me faciet; Si quid autem aliter ſapio, id quoque ipſe mihi revelabit, ſive per occultas inſpirationes atque admonitiones, ſive per manifeſta eloquia ſua, ſive per fraternas ſermocinationes; Hoc oro & hoc depoſitum deſideriumque meum penes ipſum habeo, qui mihi ſatis idoneus eſt & cuſtodire quæ dedit & reddere quæ promiſit. Vale, *Benevole & Chriſtiane Lector*, & me meaque ſtudia, quamdiu à Domino peregrinor, in tuis precibus commendatum habe.

Huc uſque, *Lector Amice*, te fueram alloquutus in priori editione; At nunc pluſcula mihi incumbunt hîc exponenda, quæ ſpectant ad Defenſionem Famæ & Integritatis meæ, hujuſce operis occaſione multipliciter læſæ, per eos quos minimè decuiſſet. Medius erat October anni ſuperioris 1656. cùm huc ad me venerunt duo Nobiliſſimi Egregijque Viri ex Canonicorum Vltrajectinorum ordine, nomine ſuorum quinque Capitulorum rogaturi ut vellem meum de ſua conditione, quam varijs Scriptis publicis impeti ægrè ferrent, promere publicum Judicium. Me potius quam alium ad id invitandi, hę fuerunt eorum rationes; quod mea Orthodoxia publicè nota eſſet; quod eſſem ex Senioribus Theologiæ Doctoribus & Profeſſoribus in Academijs hujus Foederati Belgij; & quod antea in ſcriptis meis publicis, hanc cauſam non eſſe mihi ignotam, ſatis ſignificaſſem. Quæ omnia Literis eorum publicis probare & demonſtrare facillimè poſſim. Sentiebam equidem aliquid & Invidiæ & Moleſtiæ fore hîc ſuſtinendum, ſi iterum mentem meam ex profeſſo de hac Controverſia aperirem: maximè quod contrariam eſſem propoſiturus ſenten-

ſententiam, ei quam ſatis vehementer propugnaverat hactenus Cl. D. Voetius, quem mihi reconciliatum & placatum ſemper optavi. Studium tamen Veritatis & Charitatis apud me præpolluit, & cenſui illi laboranti, ex hujus dictamine & meæ Vocationis officio, ſubveniri poſſe, ſi de Caſu propoſito ita reſponderem, ut nominatim, directè & ex profeſſo in Celeb. illum Virum non incurrerem. Sic itaque hoc meum *Judicium*, minori quam trium menſium ſpatio, dum illi rei ſubciſivas horas impendo, conſcriptum, typis deſcriptum, ac ipſis Nobiliſſ. & Ampliſſ. D. D. Canonicis inſcriptum, ſub exitum ejuſdem anni prodiit in publicum: Illud autem ita concinnaveram, ut apertè non dicerem ipſa quinque Capitula id à me expetiiſſe; ne dum iſtud Honoris mihi contigiſſe profiterer à primario Inclytæ Provinciæ Ultrajectinæ membro, viderer eo ipſo magis gravare illos è quorum Scriptionibus acerbis, & longè ſubſidentibus infra cultum qui debetur Supremis Poteſtatibus, eadem quod amplius eſt Sacra nobiſcum colentibus, occaſio hujus mei Judicii expetendi nata fuiſſet; ut debuerint quinque Capitula foris quærere remedia profundioribus illis vulneribus, quæ domi acceperant ab iis quibus id minus juxta Scripturæ regulam conveniebat. Ea quoque dexteritate & moderatione inter ſcribendum uſus fueram, ut de re quidem ipſa dixiſſe ex animi ſententia meritò videri poſſem, ſed in quemquam nominatim incurriſſe accuſari non poſſem: adeo ut ipſe Celeberr. D. Voetius negaverit, hoc meo *Judicio* viſo, illud in ſe fuiſſe adornatum, & agnoverit tantum mihi juris fuiſſe in Canonicorum ordine propugnando, quantum ipſe ſibi fecerat in illo oppugnando. Videbis quidem, *Benevole Lector*, me aliquoties Doctiſſimum illum Virum citare ac nomi-

 nare,

nare, & ſubinde ad ea reſpondere quæ proſtant in ejus Scriptis contra Canonicos editis; Sed nihil toto opere deprehendes ſtyli eriſtici, aut quo, ſalvâ diſſentiendi libertate, quicquam illius Nomini, Honori, Famæ, derogetur; Quamvis jure meo potuiſſem directè & ex profeſſo refutare illa ſcripta ipſius Anti-Canonica, quod in ſecundæ partis Præfatione, & aliis illius locis, ſatis palam & mordaciter in me incurriſſet.

Interea quamvis ſumma hîc moderatione uſus eſſem, mihique tacitè illud Virgilianum occinerem,

Neu belli terrêre minis, tumor omnis & iræ
Conceſſere Deûm,

non tamen potui declinare ſolitam amarulentiam, maledicentiam ac implacabilitatem iſtius Hominis & Suorum, contra fidem publicè ab ipſis & eorum nomine mihi datam; & quam datam dum inficiantur, eo ipſo profitentur ſe nonniſi fide Punicâ conſenſiſſe in illud armiſtitium mutuum, quod authoritate Synodorum noſtrarum ſancitum, jam ſæpiùs violarunt. Hanc hiſtoriam retexere non eſt hujus loci; Sufficiat monuiſſe, quod ab illa parte, triplici Scripto in hoc meum *Judicium* ἀκέραιον & edentulum, inſurrectum ſit: Primum fuit quod ſub titulo *Præfationis*, præfixum fuit Libro qui inſcribitur *Prima Philoſophia Reformata*; cujus Author, D. Voetius (ſit ne is Pater, an Filius, an uterque, nunc non inquiro, nam ambo mihi veniunt pro una perſona,) dum vult impetere *Obſervationes meas Theologicas & Apologeticas* moderatiſſimas, additas Diſſertationi *de Sphærulis precatoriis*, quas ejus *Theologiæ Naturali Reformatæ*, in me, jamdiu ad pacem compoſitum & nihil præter Alcedonia cogitantem, conviciosiſſimæ, anno ſuperiori opponere debueram, etiam hoc meum de negotio Canonicorum *Iudicium* arrodit non

uno

uno modo, etſi profiteatur nolle ſe *huic liti* implicare; Et cùm illi *Præfationi*, illicò reſpondiſſem breviter alterâ *Præfatione* quam præfixi meæ reſponſioni ad Viri cujuſdam Doctiſſimi & Ampliſſimi *Erotemata de re Trapezitica*, prodiit ex eadem officina ad calcem Diſſertationis *de Uſu Iuris Civilis & Canonici in Belgio*, alterum Scriptum πολιτευτικὸν, etiam circa hanc cauſam, ſub *Appendicis* titulo; ex quo conſtare poſſit Prudenti Lectori, Maledicentiæ Spiritum, hos homines ſic totos quantos occupaſſe, ut in eorum ſcriptis utramque paginam faciat: In *Theologia Naturali Reformata*, Libri medium & quaſi præcordia ac viſcera occupabat; *Primæ Philoſophiæ Reformatæ*, caput inſedit; & diatribæ de *Jure Civili & Canonico*, agmen ultimum: adeoque duorum iſtorum librorum, alter viperam refert aut aſpidem, cujus venenum eſt in capite; alter ſcorpium, cujus telum & virus in cauda eſt: Niſi ſic forte portenditur Authores iſtos brevi, quod optem, convalituros, atque ad ſaniorem mentem redituros, quandoquidem noxius ille humor ad extrema vergere & deferri videtur. Inter hæc duo D. D. Voetiorum Scripta Latina, tertium prodiit vulgari idiomate, ſub titulo *Canonici convicti*, tanto furore conſcribillatum, ut videatur Author atramenti loco, canis rabidi ſalivâ uſus fuiſſe; Is equidem per has quinque literas, loco ſui nominis primæ paginæ præfixas, S. P. V. D. M. *ſe profitetur Verbi Divini Miniſtrum*; revera tamen agit *Sycophantam publicum*, *virulentumque Diaboli mancipium*: & ita fœtuit ejus opuſculum Ampliſſimo & Sapientiſſimo Magiſtratui Ultrajectino, ut illud ceu famoſum & injurioſum, licet in ſua Urbe impreſſum, & à Wasbergio, ut dicunt nonnulli ex illius manu ſibi benè conſtitiſſe, hinc inde ad Tabernas

 Libra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

Librarias Fœderatæ Belgicæ miſſitatum, ſuppreſſerit & proſcripſerit; Nolim ſcrupuloſè in illum, quis qualis-ve ſit, ater an albus, inquirere; Et ſiquidem ipſummet ſibi malè conſcium, eo uſque ſui puduit, ut ſuum nomen non auſus ſit profiteri, non eſt quod de tali bubone in lucem protrahendo ſim ſolicitus. C. D. Schoockius *in Præfatione* ſuarum *Exercitationum Sacrarum*, multis argumentis contendit eum eſſe emiſſarium D. Voetii, & ab illo clam ſubornatum ad ſcribendum, atque inſtructum amentatis haſtis quas in me intorqueret: Et quamvis id negent D. D. Voetii in ſua *Appendice*, tamen ſatis conſtat hunc eſſe morem Celeberrimi illius Viri, ut ad ſua bella vocet Studioſos & Paſtores quoſcunque habet in poteſtate, & clancularios immittat Sicarios, ut quondam ille Aſſaſſinorum Dominus celebris in Oriente, in eorum jugulum qui ſibi contradicere auſi fuerint. Saltem cùm Voetii in illa ſua *Appendice* hunc Authorem laudent ac commendent, ejuſq; fœtũ quadantenus adoptent, quo habeant ſimiles labra lactucas; cùm dicantur ejus famoſæ chartæ typis Wasbergii ordinarii Voetiorum Typographi deſcriptæ, adeoque proculdubio non ſine eorum conſcientia & directione; cùm maledicentiſſimi & virulentiſſimi hominis, quiſquis ſit, odium furioſum, quod præ ſe fert adverſus me, à quo nec re, nec verbo, ne per ſomnium quidem unquam læſus fuit, non aliunde conceptum ſit quam ex contagio illius odii ἀσπονδοῦ quo illi deflagrant à tot annis, quorum hyperaſpiſtem agere voluit; non eſt quod eum extra Voetiorum circulum aut quæram, aut collocem. Et certè mirum eſt homines profeſſione Theologos, & qui de Panſophia & Verbi Divini Miniſterio gloriantur, in quæſtione ſpectante Caſum Conſcientiæ alienæ, tam ſecuros eſſe ſuæ, ut non

aliis

aliis armis quam Maledictis, Conviciis & Calumniis, ſuam ſententiam propugnent, inſtar illarum ferarum quæ ad incitas redactæ, nonniſi oleto & fimo, quo Venatores conſpergunt, ſe tuentur. Attamen cauſa tam gravis, aliter planè tractari debuiſſet; nempe rationibus & argumentis omnibus, in timore Dei accuratè penſiculatis, & obſervatâ regulâ B. Auguſtini, *lib. 2. de Bapt. contra Donatiſtas, cap. 6. Non afferamus ſtateras doloſas, ubi appendamus quod volumus, & quomodo volumus, pro arbitrio noſtro dicentes, hoc grave, hoc leve eſt; ſed afferamus divinam ſtateram de Scripturis ſanctis, tanquam de theſauris Dominicis, & in ea quid ſit gravius appendamus, immò non appendamus, ſed à Domino appenſa recognoſcamus*; Cujus ſententiæ utinam *Appendicum* ſcriptores meliùs meminiſſent. Sed per nos fruantur illi ſuo ingenio, & viderint quomodo Supremo omnium Judici, de ejusmodi modo agendi poſſint reſpondere. Saltem Viri Prudentes & Sapientes, quibus in pretio ſunt Sacri Miniſterii Honor, Eccleſiæ Ædificatio, Amor Veritatis, nunquam ſunt probaturi iſtiuſmodi Satyricas & Convicioſas Scriptiones, quibus relictâ Causâ inſurgitur in Perſonas, & bonorum ac honeſtorum virorum nomina omni probrorum genere diſcinduntur.

Quoniam verò libuit D. D. Voetiis tum in *Primæ Philoſophiæ* galeata *Præfatione*, tum in *Appendice* aculeata libelli de *Jure Civili & Canonico*, intra merè Perſonalia ſe continere, quod quicquid ſibi reſtabat pulveris pyrii circa ipſam Cauſam, ſuo S. P. abſumendum commiſiſſent dum canebant receptui, hinc inde refutavi in hac ſecunda editione ea omnia, quibus anonymus ille ἀυτοκατάκειτο Canonicorum hoſtis, mea pro illis argumenta admordere conatus eſt: Si quid autem, dum ex præſcripto Salomonis ejus

ejus nænias confuto, & ſtulto juxta ſuam ſtultitiam reſpondeo, *dictum in ſe inclementius* exiſtimaverit eſſe, *ſic exiſtimet*, ut loquar cum Veteri Comico, *reſponſum non dictum eſſe, quia læſit prius.* At cùm ita res ipſa, quam agendam ſuſceperam, ſit in vado, & ex ultimo illo eoque irrito conamine Anti-Canonicorum, ſatis conſtet irrefutabilia eſſe argumenta quibus meum *Iudicium* de D. D. Canonicorum Ordine & Statu communivi, etſi Pyrgopolinices Appendicularius jactet, ex Carneadis forte Diſciplina, & multo ſolidiora ſe poſſe proferre, ſi id aggrederetur, & hæc & illa tam facile ſibi fore refutare, *quam vulpes pyrum comeſt*, (hoc enim egregio adagio, ſibi bellè convenienti, utitur;) ſupereſt, *Benigne Lector*, ut paucis apud te, dum prolixiorem paro refutationem *Præfationis* & *Appendicis* Voetianæ, ea purgem Perſonalia, quæ circa hanc cauſam & occaſione illius, in illa Scriptorum Voetianorum Triga mihi objiciuntur. Eorum, quædam meam induſtriam, in hoc Opuſculo conſignando, ſuggillant; Quædam meam fidem & veracitatem impetunt; Quædam denique ipſam, quam apud bonos ſemper Dei gratiâ ſuſtinui, boni viri famam, ſauciant & lædunt.

Prioris generis ſunt, quod non reſponderim κατὰ πόδα ad Celeb. D. Voetii ſcripta bina adverſus hos Canonicos; Nihil propoſuerim quod non abundè vel C. D. Schoockius prior dixerit, *licet nec munere à manu, nec à lingua, nec ab obſequio conductus*, ut mirum ſit quod eum in meo ſcripto non nominem, vel D. Voetius in ſua *Teſtium nube*, plenè refutaverit; Non niſi ab aliis præformatos ediderim conceptus, & meâ defenſione cauſam Canonicorum prodiderim vel perdiderim potiùs quam defenderim, ac *multo plures & æqué graves* potuerint à Voetiis, proferri rationes pro iſta cauſa, ſi lubuiſſet ipſis ejus de-

fenſionem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

fenſionem ſuſcipere. Reſpondeo, 1. Bene-ne & ſolidè, an ſecus, hanc cauſam propugnaverim, non ex Adverſariorum dicteriis, ſed ex judicio Sapientum, qui extra partes ſunt, eſſe æſtimandum. 2. Duas mihi fuiſſe cauſas non refutandi directè & ex profeſſo *Nubem* ἀνύδρον D. Voetij; alteram quidem, quod mihi ſatis eſſet meam mentem explicare de Caſu propoſito, nollemque cum ipſo coniſcare; alteram verò quod ſcriptum Belgicum, intricatiſſimum, ſalebroſum, & revera ſatyricum, ne famoſum dicam, & quo quinque Capitula, ſe in ſuis ad me literis, ſummopere læſa fuiſſe, **ten hoochſten verongelijckt**/querebantur, κατὰ πόδα refutare ſi aggreſſus fuiſſem, id nihil aliud fuiſſet quam *Bacchæ Bacchanti adverſarier*, ad multa πάρεργα divagari, & ἀμέθοδους logodædalias alterius, ridiculè imitari. Et cùm Voetianus S. P. qui ex profeſſo voluit me impetere, ut mecum contendiſſe ferretur, me tamen κατὰ πόδα non ſit ſequutus, contentus ſuprema argumentorum meorum faſtigia & primam quaſi cuticulam, levi admodum brachio perſtrinxiſſe, multo minori jure mihi vitio verti debet quod D. Voetium κατὰ πόδας ſequutus non fuerim. 3. Mihi gratulari quod præter eas quas protuli, *multo plures & æquè graves*, ipſis Adverſariis fatentibus, ſuperſint rationes, quibus D. D. Canonicorum cauſa defendi poſſit, adeoque authorem me ipſis eſſe ut Scriptorem *Appendicis*, (licet ſatis infenſum ordini Advocatorum, quibus tamen præformandis ſe *Anteceſſorem* profitetur) quovis pretio conducant in ſuæ cauſæ Advocatum, eo quod hac demum Pergama dextrâ, defendi poſſint, aliàs Danaûm inſidiis, Ulyſſis fraudibus, Sinoniiſque artibus, certò peritura. 4. Præformatos ab aliis conceptus me chartæ illeviſſe, & omnia mea argumenta ex C. D. Schoockio & D. Voetio tranſſumpſiſſe, tam parum dici poſſe,

quam

quam certum eſt, me eadem quæ hîc propono hujus cau-ſæ firmamenta in *Ultima Patientia*, & *Theologo Paradoxo*, & *Syſtemate Theologico*, evulgaſſe, priuſquam horum alteruter quippiam in lucem emiſiſſet vel pro Canonicis, vel contra illos. Unde etiam D. D. Canonici in ſuis ad me literis profeſſi ſunt, ſe ideo meum *Iudicium* expetiviſſe, quod ex meis ſcriptis conſtaret id negotium mihi ignotum non eſſe; te meer de wijle uyt V. E. voorgaende geſchriften gebleken is / dat deſe ſaecke V. E. niet onbekent was. 5. Me potius utcumque præluxiſſe C. D. Schoockio ad illam cauſam propugnandam, quam ipſum mihi; ſiquidem ipſe olim ei impugnandæ ſe auctoraverat Anti-Canonicis, & pro ſua multi-juga lectione D. Voetio ſuppeditaverat quædam ex illis argumentis quibus in ſuis ſcriptis D. D. Canonicorum cauſam conatur oppugnare, & tum demum acceſſit ad eam, quam poſtea fortiter tuitus eſt ſententiam, ubi meam mentem meaſque hypotheſes penitiùs introſpexit. 6. Mea non intereſſe, quo motivo C. D. Schoockius ad grandiorem ſuum librum *de Canonicis* conſcribendum proceſſerit; nec inquirere in rationes quæ moverunt D. D. Canonicos, ad meum poſtea de re eadem *Iudicium* expetendum, (quamvis & labores C. D. Schoockii circa eam agnoverunt, etiam Honorario non ita minori eo quod in me poſtea contulerunt;) cùm mihi ſatis ſit, quod nonniſi rogatus & ſolemniter interpellatus ſcripſerim, ex Conſcientiæ dictamine & Vocationis meæ officio: Quid autem ſit diſcriminis inter prolixum opus Clariſſ. illius Viri, multa alia complectens, & hoc meum Opuſculum in quo preſſiùs inſtiti quæſtioni controverſæ, Lectorum eſto judicium. Saltem nihil inter ipſum & me actum fuiſſe ex compacto, res ipſa ſatis apertè loquitur,

tur, & vel inde patet quod ab ipſo citando abſtinuerim.
7. Tantum abeſſe ut nihil hîc propoſuerim pro mea ſententia quod in *Nube* D. Voetii in anteceſſum non proſtet refutatum, ut è contrario auſim affirmare, nihil repertum iri in omnibus Anti-Canonicorum ſcriptis, vel per modum Exceptionis, vel per modum Objectionis, quod refutatum non extet in hoc meo *Iudicio*; Proferat Appendicularius *ſi potis eſt*, ut ſua verba illi reddam, vel *unam* aut objectionem aut exceptionem ſuorum, cui hîc ſufficienter ſatisfactum non fuerit, & *Phylida ſolus habeto*. Quare, iterum officioſiſſimè te rogo, *Benigne Lector*, ut neque ex meo ſolo ſcripto neque ex ſolis Adverſantium libellis, pronuncies de hac cauſa; Sed demum ad ſententiam ferendam accedas, ubi partis utriuſque argumenta ad rectæ rationis & Verbi Divini trutinam expenderis.

Ad ſecundum Criminationum genus pertinet, Quod cum in ipſa *Præfatione*, nonniſi mel & concordiam ſpirem, poſtea *mordaci* admodum ſtylo *Theologos Viros* aggrediar, contra proteſtationem coram Deo factam, & expediam calamum nonniſi *felle & veneno occulto* delibutum; Quod non tam *Veritatis* amore, quam *odio Voetiano*, ad ſcribendum acceſſerim; unde factum, ut *licet aliàs verſipellis*, memet prodam alibi dum *id ipſum* mihi duco *honori*, *quod Primario illius Provinciæ membro in qua vivit D. Voetius*, *ab ejus contumeliis vindicando*, *ab iis quorum intererat*, *idoneus judicatus* fuerim; ac ſi tum demum ſecundum meam conſcientiam caſus Theologicus rectè decidatur, modò *contra Voetium* id fiat; Quod me perperam ſeniorē Theologię Doctorem in Academiis Belgicæ Fœderatæ dixerim; Quod nunquam à primo Ordinum Vltrajectinorum membro, dignus judicatus fuerim qui defenderem Canonicos, ſed *à nonnullis* tantum *Ca-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

nonicis ad me *miſſis*, *non unanimi omnium conſenſu*; cùm id maluiſſent non factum inter illos *Viri Primarii*, *Nobiliſſimi*, *Ultrajectini*, *non peregrini*, *non obſcuré nati*, *ut*, inquit Scriptor *Appendicis*, *de multis affirmari poſſet.* Reſpondeo 1. Me moderationem illam quam in Præfatione hujus Opuſculi profeſſus fueram, religioſé ſeruaſſe, & ita liberè meum partim de Conſiliis & Motivis, partim de rationibus Anti-Canonicorum, *Iudicium* retuliſſe, quod omninò factum oportuit ad cauſæ elucidationem, ut nec eorum cuiquam nominatim contumeliam fecerim, nec *ſtylo mordaci* perſtrinxerim quemquam, niſi forte quem ſuamet remordet conſcientia, ut *conſcius ipſe ſibi de ſe putat omnia dici.* Non dicteriis & calumniis, ſed rationibus pugnavi; quas iſti Scriptores injurias ideo vocant, quod nihil gravius ſit ei qui contra officium & rationem agit, quam ſolidè redargui & convinci; Nec potui aliter judicare, quam ipſos tantâ vehementiâ pugnantes pro bonis Pſeudo-Ecleſiaſticis vendicandis Eccleſiæ Reformatæ, affectibus ſuis & pleonexiæ inſervire; & quæ S. P. in ſuo *Prologo* injurias interpretatur, argumenta ſunt, ex Scriptura & ratione deſumpta, quibus ſua cauſa evertitur: Hìc enim ſi uſpiam fuit detrahenda peſſimæ cauſæ larva pietatis & religionis ſeverioris, quam ſibi induxit ad Superiores Poteſtates oppugnandas, alienaque bona invadenda, & ſcapha ſcapha debuit appellari. Cujuſnam autem calamus circa hanc cauſam, Mareſij an Voetii, *nonniſi felle & veneno occulto* tinctus fuerit, tuum eſto, *Benevole Lector*, æquum judicium, cui ſtare & cadere paratus ſum. 2. Me neutiquam ex *odio Voetiano* huc acceſſiſſe, quippe qui nonniſi ſolemniter rogatus, & ægrè, ut agnoverunt D. D. Canonici in ſuis ad me literis, per eorum Deputatos **niet ſonder groote moyete**/ eò diſpoſitus, ad ſcribendum

me

me accinxerim, & quantum pote fuit præcaverim, ne quid mihi excideret, quod in argumentum calumniæ à D. Voetio rapi poſſet: Unde etiam ipſe-met Vir Celeberrimus, viſo meo ſcripto profeſſus eſt, illud in ſe adornatum non eſſe, & ſalvâ pace Chriſtianâ tam fas mihi fuiſſe, pro Canonicis ſcribere, quam ſibi contra illos. 3. Multo potiori jure poſſe ſtatui ex *odio* Mareſiano profecta fuiſſe quæcunque D. Voetius emiſit in publicum adverſus D. D. Canonicos, cùm meam mentem de illis & bonis Pſeudo-Eccleſiaſticis aperuiſſem, in *Defenſione Opt. Sylvæd.* in *Ult. Pat.* in *Theol. Paradoxo*, imò in meo *Syſt. Theol. loco* 15. §. 79. priuſquam vel quid de illis D. Voetius ſentiret ariolari potuiſſem, vel hanc cauſam ex profeſſo aggreſſus fuiſſet. Et quam in *Nube* D. Voetii multa & profunda ſui in me odii veſtigia proſtent, facilè deprehendet quicunque eam percurrere dignabitur. Immò ex ea didici, quod priùs me latuerat, jam tum cùm prius ſuum *Iudicium* manuſcriptum cœpit verſari Ultrajecti in manibus hominum, & antequam quicquam mihi de illo conſtiſſet, deliberatum fuiſſe inter D. D. Canonicos, de meo in hac cauſa judicio explorando. 4. Non ideo proceſſiſſe me *ex odio* D. Voetii, quod priſcam & conſtantem meam ſententiam tuendo, & modeſtè aſſerendo, primum Provinciæ Ultrajectinæ membrum, ab illius Contumeliis vindicaverim; Nec etiam magis debui ſpectare, quid antea in D. D. Canonicos ſcripſiſſet, ne meum de illis *Iudicium* emitterem, quam ſpectaverat ipſe, cùm ſtylum ſuum in eos ſtrinxit, quid prius de illis & ſenſiſſem & ſcripſiſſem. 5. Non tam mihi poſſe tribui quod *ex odio* ſcripſerim, qui ex Conſcientia Muneris, & Vocationis ratione, conſultus publicè ab iis quorum intererat, meum protuli *Iudicium*, quam iis qui ultrò & priores

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

hanc Camarinam moverunt, & in Reip. ſuæ primum-me mbrum ſcriptis Satyricis, quibus & ego ſæpiùs implicabar, inſurrexerunt. 6. Id utique à *primo membro* Reip. Ultrajectinæ factum fuiſſe, quod à quinque Capitulis junctim factum fuit. Habeo autem & mandata eorum in hanc rem data ſuis ad me Nobiliſſimis Deputatis, & eorum prolixas atque humaniſſimas literas quibus id ipſum luculenter comprobatur. De quorundam D. D. Canonicorum in hoc conſilio diſſenſu, nunquam mihi conſtitit; & putem *Appendicularii* merum eſſe ſomnium; quod aliàs in illos quos crepat *Primarios*, *Nobiliſſimos*, *Ultrajectinos*, non uno modo mihi injurium videtur: ac ſi eos juvaret in ordine Canonicorum eſſe *Canonicos* ἀυτοκατάκρι-τους ſive *Convictos*, juxta titulum libelli famoſi ab S. P. in illos editi; & maluiſſent ſemper haberi *Achanes*, *Sacrilegi*, *bonorum Eccleſiaſticorum raptores & iniqui detentores*, *Patrimoniique Chriſti direptores*, *Ananiæ & Sapphiræ crimini aſſines*, *indigni qui ad ulla munia Eccleſiæ admittantur*, *&c.* quam à tam gravibus criminationibus, per argumenta firmiſſima liberari. Sane ſi qui ſunt inter D. D. Canonicos Ultrajectinos, qui vel meum de ſuo Ordine & Statu judicium improbent, vel ſubſcribant ſententiæ D. Voetii in contrarium, illi ſe graviſſimo peccato obſtringunt coram Deo, dum contra propriæ ſuæ conſcientiæ dictamen, in eo vitæ genere perſeverant, quod ipſi-met cenſent Supremo Numini ſummopere exoſum eſſe. Verùm abſit à me, ut tale quid ſuſpicer de ullis Viris vel Primariis vel Nobiliſſimis inter Capitulares, aut eos qui ex Capitularium ordine eliguntur ad Regimen actuale Reipublicæ Ultrajectinæ. Nominatim verò, de ipſis-met Proceribus Ultrajectinis meritò dixerim, *Equo ne credite Teucri.* Nec enim probabile eſt Ca-

nonicos

nonicos Ultrajecti natos, aliud ſentire de ſuo ordine, quam Ampliſſimum illius Urbis Senatum, qui quam procul ſit circa hanc rem à ſcrupulis Voetianis, ſuo loco in hoc opere explicatum do. Quinimò eſt penes me publicum inſtrumentum, ex quo conſtat, ſi ejus ſenſum ſatis aſſequor, Nobiliſſ. & Ampliſſ. D. Vander Holck, Exconſulis Ultrajectini & jamdiu Aſſeſſoris Sapientiſſimi in Illuſtriſſimo Conſeſſu Celſiſſ. & Potentiſſ. D. D. Ordinum Generalium, (quem honoris cauſâ hîc nomino) Ampliſſimum Patrem p. m. & ſibi ſorte, **by lot inge**/devolutum Canonicatum, pro quo & ſolvendum aliquid fuerat, diu poſſediſſe, & poſtea ſub certo pretio in alium tranſtuliſſe: Sed quid vetera commemoro? Menſis vixdũ eſt elapſus ex quo R. V. D. Johannes Knyffius Eccleſiæ Alcmarienſis Paſtor Vigilantisſimus, Beneficium in Veteri Monaſterio conſecutus vi expectativæ ab Ampliſſ. ſuo Patre, dum viveret Urbis Ultrajectinæ Senatore, ſibi datæ, facultatem ab Ampliſſ. Magiſtratu obtinuit eam Præbendam conferendi & reſignandi cui vellet, cum adhuc majori ſuo emolumento, quam aliàs per Civitatis Statuta fieri ſolet; modò reſignatio fieret in gratiam viri honeſti & Reformati, ejuſque Civis Ultrajectini, aut qui pro tali haberi posſit; quod ſane nec ſuæ conſcientiæ grave exiſtimavit V. R. nec ſanus quiſquam dixerit ipſi illicitum fuiſſe. 7. Dato non conceſſo, quoſdam ex D. D. Canonicis, maluiſſe muſſare injurias & contumelias toti ſuo Ordini illatas, ſcriptis D. Voetii, quam meum de hac re expeti vel prodire Judicium, forte quod ab illius Viri, in ſua Rep. potentis, machinationibus & odio, ſibi aut ſuis malè metuerent, pauculorum tamen & forte obſcuriorum hac in parte diſſenſus ab aliis, non efficeret, id non placuiſſe primo Ordini, quod quinque Capitula per plura concluſerunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

cluſerunt & approbarunt: Et miror eum qui ſe ſcribit Juris Anteceſſorem, hîc dememiniſſe ejus quod extat *ff. ad Municip. & de incolis l.* 29. *Quod major pars Curiæ effecit, pro eo habetur ac ſi omnes egerint*. 8. Mirari me merito quod iſti homines, Canonicos non Ultrajectinos, auſint traducere tanquam *peregrinos* & *obſcurè natos*, cùm & ipſi Ultrajecti ſint peregrini, etſi præfulgidæ ſuæ Nobilitatis ſtemmata univerſam Weſtphaliam & Brabantiam, ſi Diis placet, ab ævo occuparint; & certum ſit multos in Collegiis Canonicorum eſſe viros eximios Ultrajecti non natos, qui tamen & Splendore Natalium, & ſuorum meritis de Repub. & Eccleſia, & propriâ inſuper virtute, multo plus decoris inferunt illi Ordini, quam utilitatis ex eo referunt. 9. Non debuiſſe me πληγὰς ἀντὶ σώστρων & tot convicia referre à Voetiis & Voetianis, ſi D.D. Canonicorum cauſam non juvi, ſed prodidi & perdidi: In eo enim voti ſui ſunt compotes, & benè de ipſis meritus ſum. Denique me profitendo Seniorem Doctorem omnium eorum qui in Academiis Belgicæ Fœderatæ Theologiam publicè docent, nec quicquam mihi arrogaſſe quod verum non ſit, cum anno hujus ſæculi 25. Docturæ Lauream ſolemni ritu Leydæ retulerim, me accincturus ad Profesſionem Theologicam in Academia Sedanenſi, in qua jam octennium contriveram, priuſquam D. Voetius ad Gymnaſium Ultrajectinum, necdum Academiæ titulo ornatum, vocaretur; neque hoc mihi tribuisſe, quo cuiquam ex Symmyſtis inſultarem, quos omnes ſuo loco deveneror, ſed tantum quo demonſtrarem aliquid libertatis, mihi tot ſtipendiorum jam militi, eſſe concedendum, in iis dijudicandis quæ ad meam Profeſſionem ſpectant; prout dicit Apoſtolus de Diaconis qui benè miniſtraverint, eos bonum gradum
ſibi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

ſibi acquirere & *multam loquendi libertatem* per fidem quæ eſt in Chriſto Jeſu 1. Tim. III, 13.

Tertium ordinem contumeliarum longè acerbiorum conſtituunt, Quod dicar *piorum virorum inſtituta quæ promovendo conſcientiæ bono ejuſque informandæ gratiâ adhibentur*, decretorio ſtylo petere; Imitari hæreticos qui *Chriſti titulum in ipſis deprædationibus ſuis poſuerunt, ut quaſi per titulum potentis defenderentur*; mihi enim pariliter in more poſitum, *vitiis virtutes*, *laxitati conſcientiæ libertatem*, *vindictæ cupidini defenſionem Optimatum*, *ſtudio diſſentiendi atque adeo heterodoxiis Synodica Decreta* obtendere; In hac cauſa de Canonicis & in negotio Trapezitico, ſtare ſolus *adverſus rationem Scripturarum*, *adverſus hiſtoriam temporum*, *adverſus torrentem doctorum virorum cujuſque facultatis & ſectæ*; Velle mei unius authoritate & judicio tranquillare conſcientias & D. D. Canonicorum & Trapezitarum; quomodo tuti potuerunt eſſe in Conſcientia *Primores & Phariſæi, qui Chriſtum captivum abduxerunt, quod Judam Chriſti Diſcipulum habuerint ſibi faventem idque datâ mercede*; aut pacata fuiſſet *Balaci* conſcientia *ſi pretio accepto Bileam forte populo Dei maledixiſſet, quod & ille eloquia Dei haberet*; Motus *ratione culinariâ* ad ſcribendum in hac cauſa: & quamvis in *Præfatione primæ Philoſ.* dicerent boni iſti viri nolle tamen ſe id *aſſerere*, nihilominus in *Appendice* definiunt *honorarii vice mille aureos* mihi decretos & miſſos à D. D. Canonicis, licet nonnullis reclamantibus, & exſpectantibus num illud munus eſſem repudiaturus, nec-ne; cùm tale non eſſem *meritus præmium propter oblationem ejus libelli quem vel mediocriter doctus intra unius atque alterius hebdomadæ ſpacium compilaſſet*; Homo denique mendaciſſimus, nullius planè

fidei, conſcientiæ vænalis & proſtitutæ, cui, nequidem in articulo mortis & jam jam ſiſtendo ad Dei tribunal, ullo modo credendum ſit. Reſpondeo, 1. Nimiæ eſſe ſuperbiæ in iſtis hominibus, quod Dei jura & authoritatem involando, ſibi arrogent Judicium de conſcientia aliorum; Sto vel cado meo Domino, qui novit quam ſincerè & ex animi mei ſententia, hoc *Judicium* conſcripſerim. 2. Nullo pretio vel pacto vel promiſſo, me hoc Opuſculum adornaſſe, & tam parum mihi conſtare diſſenſum-ne fuerit inter D. D. Canonicos circa Honorarium mihi decernendum, quam eſt falſiſſimum illud *mille aureorum* fuisſe. Fateor lubens liberales & gratos ſe hac in parte D.D. Canonicos exhibuisſe; adeo ut etiamſi honorarium illud quod mihi decreverunt, minus adhuc fuisſet, in eo tamen alacriter acquievisſem: Sed quam moris eſt Honoratis ac Supremis Collegiis, Eruditorum Labores ſibi inſcriptos, aliquo ἀντιδώρῳ remunerari, ſi præſertim, vel ſuo rogatu, vel in ſui Defenſionem, ſcripti fuerint, ut nemo propterea unquam vel Judæ, vel Bileami, vel Mercenarii aut Tertulli, elogium infame à bonis viris referre debuerit, tam norunt DD. Canonici, ſuum munus ad me miſſum, honeſtum illud ſed moderatum, cujus grata tamen mihi ſemper erit memoria, longè infra illam immenſam ſummam *mille aureorum* ſubſtitiſſe: etſi talis ea fuerit, ut tanti Appendicularium ipſum, tipulâ leviorem, utre inflatiorem, animal gloriæ, verum ſuperbiæ & vanitatis mancipium, & merum Danielis *Tekel*, totum quantum cum omnibus illius ſtribiliginoſis Scriptionibus, non redememrim. Sed iſti Sycophantæ, magnis rebus innutriti, pro Nobiliſſima ſcilicet ſua proſapia, nonniſi per Chiliadas & Libras Flandricas numerare ſolent. Sane vel hinc liquet quid de eorum commentis circa ſuffragia D. D. Canonicorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

nonicorum ſit ſtatuendum, cùm ex hac eorum relatione, in qua & meam & tot multorum eximiorum Virorum conſcientiam teſtem habeo illos aureè & ſplendidè mentiri, ſatis liqueat, quam aut parum in Exploratores expendant, aut eos minus fidos conſequantur; Quia autem jam ſpe devorarunt D. D. Canonicorum opes ac reditus, & ſibi perire putant quicquid illi de ſuo largiuntur, omnia in majus intendunt, & lucrum ceſſans habent pro damno emergente, eamque jacturam ſpectant per id genus conſpiciliorum, quæ ita multiplicant objecta, ut pro uno in menſa nummo viginti aut triginta appareant. Fuerit ne autem dignum meum Opuſculum eo non *præmio* ſed *honorario* quod mihi decreverunt D. D. Canonici pronunciare non eſt Appendicularii, cujus oculus malus eſt quod alii boni in proximum tuum fuerint. 3. Vel ex hoc Opuſculo liquere, quam non agam *adverſus rationem Scripturariam, adverſus hiſtoriam temporum, adverſus torrentem Doctorum*; cùm mihi hìc militet, ut & in cauſa Trapezitica (quam iſti hìc perperam conjungunt, cùm vel nunc videant Claſſes & Synodos in hac re ſibi adverſari,) Scriptura, Hiſtoria, Ratio, Reformatarum Eccleſiarum genuinus conſenſus. 4. Tantum prævaliturum meum *Judicium* pro D. D. Canonicis, quam Adverſantium ſententiam contra illos, ſi ex Authoritate humana penderet tranquillitas Conſcientiæ; Sed hìc attendendum non ad perſonas, ſed ad rationes, nec de cauſa ex perſonis, ſed potius de perſonis ex cauſa & illius firmamentis, eſſe pronunciandum. Potuerit forte nomen D. Voetii Ultrajecti, ut Papæ inter Pontificios, aliquod *Præjudicium* creaſſe adverſus D. D. Canonicos; Verum nec eorum condemnatio ex illius nomine, nec ex meo eorum abſolutio, apud Viros cordatos, nedum apud Deum, eſt proceſſura; Sed

 ex

ex firmioribus alterutrius argumentis majorique eorum convenientia cum Dei verbo. 5. Tam parum me paria facere cum Hæreticis, ut Dei beneficio, Orthodoxia mea totius Eccleſiæ teſtimonio comprobetur; Nec ullum unquam, qui jure ſe profiteretur genuinum Eccleſiæ membrum, ullius me heterodoxiæ vel accuſaſſe, vel conviciſſe; Quin ita hac in parte Calumnias Voetianas hactenus eſſe retuſas, ut qui cicadâ loquacior in iſta accuſatione videbatur, nunc in ranam Seriphiam, notoriæ calumniæ coram toto orbe damnas, abierit. Ii ſanè Chriſti titulum in ſuis deprædationibus ponere volunt, qui clamitant Chriſti Patrimonium à Canonicis injuſtè detineri, eoſque hoc titulo ſpoliare ſuis bonis conantur, & ſuis Paradoxis in communi, præciſiorem & accuratiorem prætexunt Religionem. 6. Me hîc non eſſe ſolum; quippe qui *Synodica decreta* mihi habeam militantia, & certo certius ſit, nec poſſit negari, niſi à ſola impudentia, de Canonicis Vltrajectinis Synodum Medioburgenſem id pronunciaſſe quod propugno, & ab illius decretis diſcedere palam at perperã neotericos Præciſiſtas et Aceſianos, qui ſibi ſolis ſcalam erigunt in Cœlum, inde cœteros excluſuri. 7. Eccleſiæ Chriſti judicandum me relinquere, num in hac de Canonicis cauſa, vel in altera de Trapezitis, ullius *Heterodoxiæ* reus ſim; & num tam jure nitar in hoc meo *Iudicio*, decreto Synodi Medioburgicæ, ac Dordracenæ Judicio in cauſa de Objecto Prædeſtinationis, de quo olim mihi fuit contentio cum Cel. D. Voetio, cui, ut nihil moderatum ſpirat, placuit contra Synodi Nationalis Dordracenæ definitionem, Supralapſariam Prædeſtinationem mordicùs tueri; ut in cauſa Anticanonica διαῤῥήδην & præfractè ſe opponit deciſioni Synodi Nationalis Medioburgenſis. Et ſane poſſem jure Synodos Nationales etiam in tertio capi-

te

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

te illi objicere, quod adverſus earum deciſiones, anniverſaria feſta, Nativitatis, Paſchatis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, abolere moliatur; Sed hanc curam Venerandis Synodis utriuſque Hollandiæ, quæ jam cœperunt ejus novandi intemperiei aliquam fibulam injicere, lubens relinquo. 8. Tam durum mihi eſſe audire, quod *Vitiis Virtutes*, *Laxitati conſcientiæ Libertatem*, *Vindictæ cupidini Defenſionem Optimatum*, *Studio diſſentiendi adeoque Heterodoxiis Synodica Decreta* obtendam, quam id probatu impoſſibile eſt meis Adverſariis, quibus furor & maledicendi cacoethes has ſuggerit calumnias. Quin ſi *Vindictæ cupidini Defenſionem Optimatum* prætexui, oportet D. Voetium authorem fuiſſe prioris inter nos rixæ, quandoquidem, ipſo Judice, Vindictæ adverſus eum ſtudio, utique ex aliqua priori offenſione nato, Defenſionem Optimatum Sylvæducenſium ei oppoſui. Ad hanc autem Diſputationem de Canonicis non devenimus, quod ego ſtuduerim ab ipſo diſſentire, ſed quod ipſe prior à me diſſentire voluerit, & ne videretur erraſſe in hetæria Sylvæducenſi tam acriter impugnanda: Cùm enim ad hujus Defenſionem & Excuſationem legitimam adhibuiſſem exemplum D.D. Canonicorum in ſua Provincia, nec videret quâ ratione ſe ex hoc argumento expediret, cœpit acerbiora quæque adverſus illos meditari, ſtimulante inſuper *Ragione di Stato*, & quod multum putaret acceſſurum Ærario Eccleſiaſtico, ſibique ac ſuis per reflexionem, ſi Opima Præbendarum Spolia, Capitulis detracta, in ſuum Capitolium inferret. Quare cùm ego, meos tum Sylvæducenſes Proceres innocenter defendendo, occaſionem primam ſuggeſſerim Celeb. illi Viro ſeveriora moliendi in Ordinem Canonicorum, quibus eouſque nihil moleſtiæ creaverat, æquitas ipſa videtur

 poſtu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

poſtulare, ut eorum cauſæ Patrocinium ſuſcipiam. 9. Me neutiquam hîc impetere virorum piorum inſtituta, quæ promovendo conſcientiæ bono deſtinentur, nec Dei gratiâ impugnatæ Pietatis, niſi ab hominibus improbis & impiis, poſſe accuſari; ſed bonorum & piorum virorum ſtatum & ordinem propugnare adverſus auſteriora & inhumaniora ac Charitati Chriſtianæ iniquiora de illis *Judicia*; in quo Conſilio num ſcopum meum ſim aſſequutus, tu, *Benevole & Sapiens Lector*, judex eſto, judicet & tecum Sancta Dei Eccleſia.

Quod ſi quis contra ſentientium hîc queat me in Spiritu Lenitatis erroris ullius arguere aut convincere, illi ſanè, quod viam comiter monſtraverit, publicas ſum acturus gratias: Sed quamdiu eo ſtylo & modo mecum agetur, quo actum eſt in tribus prænominatis ſcriptis, multo plus accedet quam decedet & meæ ſententiæ, & huic Scriptioni. Interea rogatum hîc velim enixè & obteſtatum per omnia Sacra, Celeb. D. Voetium, ut vel admittat eam pacem & amneſtiam Chriſtianam, quam ſemper & petii & obtuli, vel ſaltem ſi tam alienus ſit à Concordia, ut nec Amicorum Conſilia, nec vota Eccleſiæ, nec Synodorum Interceſſiones audiat, armis paribus mecum certet, ideſt rationibus & argumentis; neque amplius ex inſidiis immittat ejuſmodi maledicos ſuos Emiſſarios, quibus ut ait Plautus, *theſaurus in lingua ſitus eſt*, *ut quæſtui habeant malè loqui melioribus*. Deus Concordiæ & Pacis, noſtris deinceps animis & calamis per ſuum Spiritum ſic moderari dignetur, ut nec illis meditari, nec iſtis exprimere quicquam valeamus, quod ad amuſſim Veritatis & Charitatis Chriſtianæ non exigatur, & ad Nominis ſui Sacroſancti Gloriam, Eccleſiæ Ædificationem, Proximi Conſolationem, propriamque Salutem, cedat & dirigatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

Idem Tu, *Chriſtiane Lector*, mecum precare; ut ego tibi precor ex animo fauſtiſſima quæque: *Ex meo Muſæo, xxx. Sept. Stylo Jul.* 1657.

TV quis es qui judicas alienum famulum? proprio domino perſtat, aut cadit: ſtabilietur autem; poteſt enim Deus eum ſtabilire. Rom: xiv, 4.

Omnia munda mundis; pollutis autem & incredulis nihil eſt mundum; ſed polluta eſt eorum & mens & conſcientia. Tit: i, 15.

SENECA.

VEniet qui conditam & ſæculi ſui malignitate compreſſam veritatam dies publicet.

Quæ decipiunt nihil habent ſolidi; tenue eſt mendacium; pellucet ſi diligenter inſpexeris.

INDEX CAPITUM.

1. *Proponitur Quæſtio de qua hìc agendum, ejusque occaſio & ſtatus aperitur.* pag. 1.

2. *Primum argumentum pro hujus Quæſtionis parte affirmante, deſumptum ex eo quod Canonici ſint ſuorum bonorum & illis aenexæ dignitatis poſſeſſores bonæ fidei in utroque foro, tam ſoli quam poli.* pag. 11.

3. *Argumentum ſecundum, petitum ex Scripturis, tam negativè quam affirmativè.* pag. 16.

4. *Argumentum tertium illudque varium, petitum à jure, authoritate & approbatione Supremi Magiſtratus.* pag. 27.

5. *Argumentum quartum quod à Iudicio & Approbatione Eccleſiæ deſumitur.* pag. 44.

6. *Argumentum quintum petitum à Caſibus planè ſimilibus, in quibus agnoſcitur nihil eſſe reprehenſibile.* pag. 59.

7. *Argumentum ſextum petitum à natura bonorum ad quinque Capitula pertinentium, quo oſtenditur ex illa nullum ſcrupulum poſſe moveri Conſcientiæ hominis Reformati.* pag. 70.

8. *Argumentum hoc ipſum vindicatur, agiturque de Fundatorum intentione, & oſtenditur quod neque ex illa neque ex ullo alio probabili titulo poſſint hæc bona vendicari neceſſariò uſibus ſacris Eccleſiæ Reformatæ.* pag. 98.

9. *Argumentum ſeptimum, ſpectans titulos varios Canonicorum, ſub quibus illa bona poſſident.* pag. 123.

10. *Argumentum octavum, quo probatur iſta Beneficia eſſe conſtituta Ultrajecti iu libero commercio, adeoquo Canonicos licito titulo eorum poſſeſſores eſſe bonæ fidei.* pag. 144.

11. *In quo agitur de Iuramento Capitularium, & oſtenditur loco argumenti noni eo ipſo Canonicorum conditionem eſſe licitam quod licitè jurent in Statuta ſuorum Capitulorum.* pag. 156.

12. *Continens Argumentum decimum, deſumptum ab inteſtabilitate eorum teſtium qui agminatim producuntur contra Canonicos, & authoritate eorum qui pro illis adferuntur, cum totius Quæſtionis Concluſione.* pag. 172.

CAPUT

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

CAPUT PRIMUM.

Proponitur Quæſtio de qua hîc agendum, ejusque Occaſio & Status aperitur.

GRavi proculdubio reatu ſe obſtringunt coram Deo, qui pulvillos conſuunt ſub peccantium axillis, eorumque vitiis adblandiendo, negant id eſſe peccatum quod tamen revera peccatum eſt, Verbo Dei contrarium & noxium ſaluti: atque ſic ultrò currentibus per viam latam, laxant habenas & calcaria ſubdunt. Sed non minus illi gravant ſuas conſcientias qui dum ſibi videntur eſſe *purgatioris religionis*, ut hac voce Auguſtinianâ hîc utar, libertatem Chriſtianam in rebus adiaphoris operosè circumſcribunt, omnia ferè conſerunt muricibus, ac injectis vel excogitatis non neceſſariis ſcrupulis de facto proximorum ſuorum, eorum vel conturbant tranquillitatem, vel exiſtimationem lædunt: Quorum neutrum convenit cum fraterna illa Charitate quam tantopere inculcant Sacræ Literæ: Ac ſicut ſæpè periit hominum libertas nimio retinendæ libertatis ſtudio, ita non rarò nimiâ religioſitate religio in periculum adducitur: Arcum ſolet frangere vehementior intenſio, & emunctione ſupra modum accuratâ, lucerna extinguitur: Sed cùm nolit Salomon Eccl: VII, 16. quemquam eſſe vel *nimis juſtum*, vel *nimis ſapientem*, ut meritò ſunt culpandi qui camelum deglutiunt, & ſcelera quælibet ſtudent excuſare vel incruſtare atque ex peccato non peccatum facere; ita in culpa ſunt graviſſima, qui accuratè nimis culicem colant, ex non peccato peccatum faciunt, & mali amanuenſes lactea facta fratrum ſuorum tranſcribunt ſanguine, ac in ipſo Sole maculas deprehendunt. Utrumque hoc extremum vitioſum fugitare debet cordatus Theologus, ſi de aliorum factis judicium ſuum ex Dei Verbo promere teneatur; ne Scyllam declinando incidat in Charybdim & ex Calcaria

in Carbonariam delabatur: *Medio tutiſſimus ibis.* Neque id ei erit difficile qui *ſenſus* habuerit ut cumque *exercitatos ad diſcretionem boni ac mali*, ut loquitur Apoſtolus Hebr: v, 14. & procul poſitis omnibus præpoſteris affectibus amoris vel odii, ad Veritatis Divinæ & Charitatis Chriſtianæ lancem ſuum Judicium trutinare ſtuduerit.

Cùm itaque Eximii quidam Viri, non minus Pietate & Sapientiâ inſignes quam Domo & Sanguine Nobiliſſimi, ſuis de cauſis à me petierint meum Judicium publicum de Canonicis & Canonicatibus Ultrajectinis, ſanctè proteſtor coram Deo renum & cordium ſcrutatore me illud hîc propoſiturum citra προσωποληψίαν, ex conſcientiæ dictamine animique ſententia, & quale omninò de re iſta conſcripturus eſſem ſub ipſa hora decretoria, quâ ero evocandus ad meæ villicationis ſupremo omnium Domino reddendam rationem. Tu Pater Luminum, fons omnis Juſtitiæ & Veritatis, rege tuo Spiritu Sancto mentem & calamum, ne mihi imprudenti contingat, vel patrocinari ulli ſceleri, ut ut occulto & latenti, vel facto innoxio & innocenti, Sacrilegii, Idolomaniæ, alterius-ve criminis labem aſpergere; Daque ut illud ſemper hîc habeam præ oculis quod dixit Salomon Prov: XVII, 15. *Qui abſolvit improbum, & qui condemnat juſtum, ſunt æquè ambo abominationi Iehovæ.*

Quo autem pateat diſtinctiùs, quid illud ſit ſuper quo meum exigitur Judicium & Reſponſum Theologicum ac Chriſtianum, ante omnia ipſammet Quæſtionem exhibebo, quam propoſuerunt illi, qui & infirmiorum Conſcientiæ & aliorum Exiſtimationi circa eam quodammodo laboranti, conſuli petierunt.

Quæritur, An Vir Pius & Reformatus, nullo cæteroquin Munere Eccleſiaſtico aut Academico fungens, poſſit bonâ & illæsâ conſcientiâ uti frui bonis illis quæ Eccleſiaſtica in Provincia Ultrajectina appellantur, etiam ſub titulis Præpoſiti, Archidiaconi, Decani, Sacriſtæ, Scholaſtici, Theſaurarii, Præbendarii, Canonici, Collegiati, Capitularis, Vicarii & ſi

& ſimilibus, abſque ullo tamen exercitio directo vel indirecto Superſtitionis Romanæ; atque ſic accenſeri primo illius Reip. membro, quod conſtituunt homines illa bona ſub ejuſmodi titulis posſidentes, ex ordine ibi publico & lege fundamentali, juxta quam poſt tempora Reformationis & recuperatæ Libertatis, nemo ad illa bona posſidenda & ὑπεροχὴν *illis annexam ab Ordinibus admittitur, de quo non conſtet eum Reformatam Orthodoxamque Religionem profiteri?*

Hanc quæſtionem ut mihi ſolvendam proponerent illi quos dixi, effecerunt proculdubio varia ſcripta hinc inde ab aliquot annis, non ſine magna animorum contentione, ſuper hac re emiſſa; ea nominatim quæ non ita pridem adverſus hunc Ordinem linguâ vulgari edita ſunt, ſtylo, quantum Belgica poſſum aſſequi, acerbiori & ſeveriori, quam qui deceat Theologos moderatos & memores Chriſtianæ Charitatis: Verùm ita fert nonnullorum auſterior genius & ſeverius ingenium ut vehementer velint quicquid volunt; & dum Ariſtarchos agunt in omnes & omnia, aliquid participent de Timonis indole, ut pro tribunali ſedentes fabas nigras præferant albis, ac proniores ſemper ſint ad condemnandum quam ad abſolvendum. Quò facit inſuper præciſioris ſanctitatis quod præ ſe ferunt ſtudium, ex quo cernentes acutiùs cœteris, poſſunt ibi peccatum deprehendere ubi aliis nihil tale apparet, & eâ ratione ſibi quærere laudem apud alios, tum ſubtilioris Caſuiſticæ, tum Sanctimoniæ majoris; cùm non ſit veroſimile eos non ſollicitè omnem mali ſpeciem declinaturos, qui poſſunt aliorum defectus tam ſolerter perſpicere & tam uehementer exaggerare: Nec enim credere par eſt eos fore Philoſophos ſententiâ, ignavos operâ, & cum Scribis & Phariſæis grandia onera impoſituros aliorum humeris, quæ ipſi digito tangere detrectaverint.

Quod ſi ad iſta omnia privati fortè acceſſerint affectus, & ſpes haud exigua alicujus compendii faciendi ex iis quæ putant alios deſerturos per ſuas invectivas, ut fiber ad incitas redactus reſecat ſibi pondus il-

lud cujus gratiâ venatores eum inſequebantur, dubium non eſt quin eò ſint ſtudiosè collaturi omnia ea argumenta quæ ſpecioſa Conſcientiæ & Religionis nomina ipſis ſuppeditare poterunt; eadem arte quam carpit Salomon Prov: xx, 14. *Peſſimum eſt ait emptor, & cùm digreſſus fuerit ſeipſum laudat.* Neque novum eſt aut inſolens homines piſcari iſthoc hamo aureo, & Conſcientiam ac Religionem prætexere iis opibus adhamandis quas ſuas eſſe malint quam aliorum. Etiam Judas profuſionem unguenti carpebat ceu inutilem, & pertendebat præſtitiſſe illud vendi & ejus pretium expendi in pauperes.

Non neſcio equidem auſteriores illos judices, hoc vulgari axiomate niti, quod in dubiis ad conſcientiam ſpectantibus ſemper ſit inclinandum in partem tutiorem: Sed tutiorem eam arbitror, niſi luce meridianâ clarius contrarium ex Scripturis ſacris pateſcat, in qua Charitas illa in conſilium adhibetur, quæ omnia credit, omnia ſperat, nihil ſequius de fratribus ſuſpicatur, nec capit ſiniſtrâ quod dextrâ dabant, & deterret quemlibet à temeraria proximi condemnatione. *Ne judicate ut ne judicemini*, inquit Chriſtus Matth: VII, 1. *Et tu quis es*, inquit Paulus Rom: XIV, 4. *qui condemnas alienum famulum? proprio Domino perſtat aut cadit; ſtabilietur autem: poteſt enim Deus eum ſtabilire.* Hæc non dico quod velim Charitatem eſſe cœcam, aut nefas putem Theologis de caſu aliquo dubio conſultis, ſincerè proferre ſi quid latentis in eo culpæ ad facem Verbi Divini deprehenderint; ſed quod ſtatuam non ita facilè deveniendum eſſe ad decretorium ſtylum, ex quo plurium virorum bonorum fama publicè impetatur, & ſub prætextu Caſuiſticæ deciſionis de illorum facto, quam nec ipſi petierint, ut pote plenè in ſua Conſcientia perſuaſi nihil in eo eſſe quod pugnet cum Dei Verbo, traducantur per ora virûm, plebis odio, maledicentiæ & invidiæ objiciantur, ac Philippicæ invectivæ, ſi non Lucilianæ Satyræ, in illos emittantur.

Quoad me fateor, nihil mihi occurriſſe in iſtis acerbioribus Deciſionibus nuperis contra Canonicatus & Canonicos Ultrajectinos, quarum ſubinde aliqua pars fio, quo dimoverer à prima mea ſententia, quam jam olim & ante multos annos obiter publicè profeſſus ſum; ſed multa quæ è contrario plurimum ponderis illi adjecerunt; ut omnibus in Dei timore accuratè penſiculatis, non aliter Quæſtioni propo-

propoſitæ reſpondere quam, queam affirmativè, nixus ad id firmiſſimis argumentis, quæ priuſquam propono, res omnis paullo altiùs eſt repetenda.

Nemo neſcit Fœderati Belgii Legem fundamentalem eſſe illam celeberrimam Unionem, quæ vulgò Ultrajectina dicitur, Ultrajecti nempe concepta & inſtituta ſub initium anni 1579. Quam abhinc paucis annis, nempe anno 1651. omnes Provinciæ iterum in Illuſtri ſuo conventu Hagæ habito, de novo confirmarunt & in arce repoſuerunt, definientes *art.* 1. ſuæ **Nader nadere Unie**/ *Confœderationis arctioris*, **dat die Unie binnen de Stadt Utrecht anno 1579 opgericht/ voor ſeecker ende vaſt ghehouden ſal worden; voor ſoo veel die ſelvige hier niet en is verandert**/ ideſt Unionem Ultrajectinam ratam & firmam manſuram, in omnibus illis capitibus, quibus nihil expreſſè per ultimam iſtam confœderationem derogatum fuerit. Illius autem Ultrajectinæ Unionis *articulo primo* generaliùs & *vigeſimo quinto* ſpecialiùs, ſuæ ſecuritati & conſervationi ſuorum juriũ proſpexerant Canonici Ultrajectini, qui egregiam in illa procuranda & Libertate publica vindicanda, ceu ab ævo primarium Reip. membrum in Provincia ſua conſtituentes, operam navarant; adeo ut quinque ex illis ſuorum Capitulorum nomine iſti Unioni ſubſcripſerint, quorum nomina apud Borrium legi poſſunt *lib.* 13. *Hiſt. Belg:* & ad calcem exemplarium ejuſdem Unionis, additorum decretis nuperæ illius Confœderationis Hagienſis, cujus modò memini. Ejus *articulo primo* cautum eſt quodlibet membrum eorum qui ad illud fœdus accedebant, priſca *ſua privilegia, inmunitates, exemptiones, jura, ſtatuta, conſuetudines & uſus* conſervaturum; & *vigeſimo quinto* conventum, Provinciarum ſingularum Præfectos, nec non earum Magiſtratus & Officiarios reſpectivè, *juraturos* conſervatum iri omnia *Sodalitia & Collegia* quæ in urbibus & locis confœderatis extarent. Factâ tamen *articulo decimo quinto libertate religionis & veſtium* omnibus iis qui in Collegiis Eccleſiaſticis tum extantibus vel jam forent, vel porrò futuri eſſent; modò in cæteris Superioribus eorum Conventuum & Collegiorum remanerent obnoxii. Ita enim ſonant verba illius articuli: **Dat oock die tegenwoordelijcke in die Conventen ofte Collegien zijn / ofte naemaels komen ſullen/**

vryheyt ende libertëyt van Religie ende oock van Kleederen hebben ſullen; Bekentelijcken dat ſy luyden den Overſten van den Conventen in allen anderen ſaken onderdanich ſullen zijn. Quo decreto ipſa met Capitula ſatis palam conſenſerunt in ſui Reformationem, Collegiis tamen quoad Temporalia, Politica & priſcum ordinem, in ſuo eſſe permanentibus.

Ab eo etiam tempore cœperunt Capitulares non pauci Religionem amplecti Reformatam, cæterà tamen retinentes ſuum in Republica axioma cum reliquis collegis, ſuaque Beneficia & Præbendas inter eos. Indicio eſt quod jam biennio poſt Synodus Nationalis habita Medioburgi anno 1581. *art.* 95. *ſpec. quæſt.* definivit ad Sacram Cœnam citra ſcupulum admittendos, *Canonicos & alios è Clero*, ende andere Geeſtelijcke perſoonen / *ut quidem appellantur, retinentes ſua Beneficia, ut Decanatus, Præpoſituras &c. abſque tamen Superſtitione aut Idololatria.* Eoque brevi iſthîc proceſſerat numerus Reformatorum ut jam anno 1582. decretum fuerit Pontificios Canonicos, quorum fides nutaſſe deprehendebatur, non admiſſum iri amplius ad regimen Reipublicæ, in quo iſte ordo primas tenebat ab ævo & porrò retinere debebat, ſed id juris fore tantummodo Reformatis, è quibus certus ad id numerus eligeretur, qui in Comitiis & Republica regenda & adminiſtranda primarium membrum repræſentaret & ſuſtineret. Licet poſt illud decretum, quod videre eſt apud P. Borrium *lib.* 27. ſuas ſubinde difficultatas Canonici paſſi fuerint, per quoſdam ex Urbe Ultrajectina, maximè temporibus Leiceſtrenſis factionis; quibus Prouningius quidam, inviſum omnibus bonis nomen, *Canonicos Cathedrales ſacrumque ordinem, quibus hactenus pars tertia in conventu,* (inquit Reidanus *Annal. ſuorum lib.* 5.) violenter abrogavit, atque *conſecrata ac in fiſcum redacta bona* invaſit: *Eccleſiaſticos autem Vltrajecti*, (ut inquit idem) *non tam religio inviſos fecerat (quippe præterquam quod Pontificia plerique ſacra deſeruerant, nullius ob religionem in Belgica deterior conditio fuit,) quam amplæ facultates quibus nonnulli inhiabant*; quod etiamnum obtinere nullus dubito.

Sed optimi quique laboranti eorum cauſæ per factioſos & factiones, ſemper tulerunt ſuppetias; Nam anno 1579. paullo poſt confœderationem Ultrajectinam, Equeſtris ordo & Civitas Ultrajecti-

na

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

na ſolemni illo diplomate, quo Ordines inter ſe convenerunt de Jure Collationis Beneficiorum vacantium, quod communi conſenſu ereptum ibant Pontifici Romano, Capitulis quinque promiſerunt ſe illa in omni ſuo jure ſanctè conſervaturos; quod factum pridie eorum tumultuum relatorum P. Borrio *lib.* 13. quorum occaſione ſolemne illud pactum inter Pontificios & Reformatos proceſſit cujus conditiones *ibid.* leguntur. Anno 1580. cùm plebs multa petiiſſet à Magiſtratu, inter alia *art.* 11. ut in poſterum quinque Capitulis nefas eſſet ſuos ſolemnes conventus habere, Magiſtratus ſuâ reſponſione apud Borrium *lib.* 14. id omninò iniquum judicavit; & Princeps Auriacus ſuo proviſionali Reſcripto dato 23. Martii eo anno, ſic multa conſtituit circa Religionem, ut tamen unà ſanciverit illa Concordata inter Urbem & quinque Capitula remanſura; & in Provincia 27. Decembris cautum fuit ut ex quoque Capitulo unus ad minimum Comitiis publicis intereſſet quoties celebrarentur. Anno 1581. condidit Princeps Auriacus decretum legendum apud Borrium *lib.* 16. ſuper 24. articulis Capitaneorum Ultrajectinorum, quo inter alia continebatur, neminem interfuturum Comitiis publicis qui ſolemniter Papæ communionem & Hiſpani imperium non ejuraſſet, & ex ſingulis membris nonniſi tres interfuturos quotidianis Conventibus, ſcilicet tres ex Clero, **uyt de Geeſtlijckheyt**/ tres ex ordine Equeſtri, & tres ex Civitate & Urbibus. Adeo tunc grave non erat Ultrajecti, eos cenſeri & exprimi nomine *Cleri*, aut *Spiritualitatis*, qui tamen ejurato Papiſmo & Clericatu Pontificio, nomen dederant Eccleſiæ Reformatæ, & temporale ſuum in Capitulis, cum ei annexo axiomate Politico, retinebant. Et cùm anno 1582. iterum Capitanei Ultrajectini inſtitiſſent pro abrogatione primi Ordinis, quem *tertium* contemptim nominabant, Conſilium Status, apud eundem Borrium *lib.* 17. conſtituit rationem eligendorum quorundam ex quinque Capitulis, qui *primum membrum Ordinem Vltrajectinæ Provinciæ* repræſentarent, & forent ejurato Papiſmo Religionis Reformatæ; quod Princeps Auriacus 14. Julii comprobavit, unde poſtea illud *Electorum* nomen ipſis fuit attributum, quod in hunc diem retinuerunt. Et cùm adhuc tempore Leyceſtrenſis factionis novæ turbæ fuiſſent excitatæ contra Canonicos, urgente Civitate abrogationem primi membri, & contra niten-

te

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

te Equeſtri ordine, Comes Nivenarius ceu Præfectus Provinciæ, ſuo Decreto cenſuit Civitatem & Urbes debere conjunctim cum Electis & Equeſtri ordine agere more ſolito; quam Conſtitutionem vidi non ita pridem ejus manu ſubſcriptam ſub dato 14. Decemb. 1586.

Exinde autem manſit is ordo conſtans in ea Provincia quem deſcribit Author *Annotat. additarum Deſcriptioni* Guicciardini: Obſervat enim quod à tempore recuperatæ libertatis, *Provincia* Ultrajectina *ad vicinarum modum ab Ordinibus ſuis regi cœpit; Illi autem* (inquit) *conſtant tribus membris, Clero nimirum, Nobilitate & Oppidanis; Clero licet ſacris mutatis & Romani Pontificis authoritate abrogatâ, atque adeo Epiſcopo abdicato, ſuus honos manſit & prærogativa inter Ordines, ſed non eo quo olim nomine: Electi namque hodie appellantur, quia è quinque Canonicorum Collegiis alleguntur* &c. Ac prout jam ab initio mutatæ Reip. iſti Electi debuerant eſſe viri honeſtorum natalium, famæ integræ, Religionis Reformatæ & Orthodoxæ, ita ſi aliquando de illo & Equeſtri ordine augendo in illa Provincia fuit deliberatum & conſtitutum, ut 3. Julii 1605. & 8. Junii 1610. tam per Conſilii Status Fœderati Belgii Decretum quam Principis Mauritii Reſcriptum, expreſsè de illis tribus conditionibus & quod non forent *Factioniſtæ*, cautum fuit.

Neminem verò offendat quod in hujuſmodi decretis factis ſucceſſivè pro Canonicis & Electis, ea ſæpiculè dicantur *provioſionaliter* emiſſa: Id enim non eſt ſumendum quaſi ille ordo in Rep. per meram tolerantiam ſubſiſteret, foretque in poteſtate alterutrius ex reliquis duobus membris, aut utriuſque conjunctim, illum abolere, cùm par in parem non habeat imperium; ſed hoc eſt intelligendum in favorem ipſorum Capitulorum, quibus integris eâ clauſulâ ſalutari ſervatur priſcum ſuum jus ad Comitia, etſi ad tempus ſolis quibuſdam Electis ex illis omnium vice concedatur. Quapropter Ampliſſimus Magiſtratus Ultrajectinus 24. Aug. 1618. ſolemne Diploma conceſſit *Dominis Electis repræſentantibus primum membrum Illuſt. & P. P. D. D. Ordd. Ultrajectinorum*, quo promittit ſanctè & conceptis verbis ſe *eos*, *eorum ſtatum & bona*, omni ope conſervaturum & defenſurum, cum approbatione decretorum in eorum cauſa factorum 4. Aprilis 1582. & 8. Junii 1610.

Nec

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

Nec tantum id in Electis, ceu lege fundamentali, ſemper requiſitum, ut ſint integræ famæ, & Religioni Orthodoxæ ac Reformatæ addicti, ſed Reformatione ulteriùs procedente, cautum fuit neminem ad ullum Beneficium porrò admittendum, qui revera & de facto Sanctam, Chriſtianam, Reformatamque Religionem non profiteatur, qualis publicè in Belgio obtinet, aut de quo in illa educando & inſtituendo, ſi minorennis adhuc fuerit, ſufficienter non caveatur; quod 13. Junij 1615. Ordines illius Provinciæ iterum, endrachtelijcke/ *unanimiter* ſanciverunt, ceu perneceſſarium & maximè faciens *ad promovendam Dei gloriam, Religionem Reformatam, & vitam piam atque honeſtam, nec non Reip. ſecuritatem, & excluſionem omnis externæ uſurpatæ authoritatis in hominum conſcientias, corpora & bona*; Tot vorderinge van Godes eere/ de H. Chriſtel. Gereformeerde Religie/ een Godtſalich eerbaer leven/ ende tot welſtant van den Lande/ mitſgaders tot ſecluſie van uytheemſche ende vreemde geuſurpeerde autoriteyt/ over der menſchen conſcientien/ lichamen/ ende goederen. Quod iterum novo Decreto condito 14. Feb. 1623. expreſſiſſimis item verbis confirmarunt.

Quinimò ita neceſſaria eſt per leges Provinciæ, publica & ſolemnis profeſſio Religionis Orthodoxæ in omnibus Canonicis Ultrajectinis, ut ſi quis eorum ad alia ſacra tranſiret & deficeret ad Papiſmum, eo ipſo ſuo Beneficio excideret: quod pronuper exemplo manifeſto comprobatum eſt.

Maneat ergo, quod olim Celeb. D. Voetius, contra me cæteroquin vehementiùs ſcribens, *Fratern. Mar. pag.* 445. *&* 446. optimè monuit de *ſtatu & Collegiis Canonicorum Ultrajectinorum*, illis *implicitam eſſe ſupremam & primam autoritatem ac poteſtatem politicam*; (*quæ*, inquit, *Theologis ſacra & inviolabilis eſſe debet*:) ut pote *qui in mutatione Reip. & vindicatione communis libertatis contra tyrannidem Hiſpanicam, non tanquam ſubditi aut optimates, ſed tanquam Domini ſupremi* (*pro ſua parte*) *& tanquam pars magna, imò potior ac prima regiminis ac conſeſſus Ill. Ordd. hujus Provinciæ, talis ſtatus ſui cum reditibus perpetuationem & ſtipulati ſunt pariter ut pars contrahens, & autocratoricè approbarunt ſimul pro parte ſua, ut primum membrum Ordinum, qui magnam, imò maximam partem Præ-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

diorum & Dominiorum in hac Provincia poſſident. Ethi quidem tunc omnes ferè religioni Pontificiæ addicti. Multa poſtea arbitrio aut conſenſu ipſorum Collegiorum, poſtquam non pauci Reformationi nomen dederant, & pietate Ill. Ordinum, ut & prudentiâ Celſiſſ. Præfectorum hujus Provinciæ, mutata ſunt, & ad reformatam religionem propiùs adaptata, majoremque Reip. ſecuritatem inflexa: ut revera hîc nihil amplius deſiderari poſſit ſaltem ab iis qui non quærant reſolutionem uſque ad materiam primam, & contenti ſint ordine ad reformatam Religionem & Reip. ſecuritatem inflexo & adaptato; neque velint ſub prætextu novarum Reformationum, Eccleſiæ ac Reip. pacem perpetuis diſſidiis ac jurgiis ideo conturbare, quod in aqua turbida piſcatio meliùs procedere ſoleat.

Hæc autem omninò hîc præmitti debuerunt, ut quæſtionis ſtatus meliùs intelligeretur: Quod enim pertendit Conviciosus & Anonymus ille ſcriptor, qui primæ hujus noſtri *Judicii* editioni ſuas famoſas chartas oppoſuit, nihil eò facere quæ per Unionem Ultrajectinam decreta fuerant in gratiam Canonicorum, omni caret fundamento; cùm hæc tota res ab origine prima repeti debuerit, quò conſtaret ita legitimum eſſe Provinciæ Ultrajectinæ regimen illud in quo Canonicis ſuæ partes ſervantur, ita conveniens cum Principiis Religionis Chriſtianæ & Reformatæ, ut non poſſit hic author, Electorum ad illud admiſſionem, illegitimam & vitioſam pronunciare, & eam conferre cum putredine in pomo, ac *malum neceſſarium* appellare, quin læſæ Majeſtatis reum in illa ſua Provincia, & læſi honoris *tot præſtantium virorum*, (uti dicuntur Celeberrimo Voetio *pag. 447. ejuſd. Fratern. Marianæ*) ſe conſtituat: ac id ipſum violet, quod modò ipſe D. Voetius Theologis ſacrum & inviolabile eſſe debere aſſerebat. Sed iſtis hominibus ratione deſtitutis, furor arma miniſtrat; & cauſam quam nequeunt argumentis evertere, conantur conviciis & maledictis opprimere; ac ita palam facere omnibus, ſe pietatis ſinceræ & veræ religionis nihil præter larvam habere, quam ſuis affectibus & odiis iniquiſſimè prætendant; quod illis in Dei judicio, niſi reſipuerint, & ad Veritatis & Charitatis Chriſtianæ normam ſua judicia in poſterum meliùs exegerint, impune non erit.

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

Primum argumentum pro hujus Quæſtionis parte affirmante, deſumptum ex eo quod Canonici ſint ſuorum bonorum & illis annexæ dignitatis poſſeſſores bonæ fidei, in utroque foro, tam ſoli quam poli.

EX iis quæ jam deduximus, pateſcit facilè ſtatus Controverſiæ, & quod Caſus poſitio, uti loquuntur, à vero non aberret, etiam ſuo calculo id comprobante illo ipſomet Celeberrimo Viro, qui tamen huic cauſæ ſuis de cauſis vehementiùs adverſatur: Nunc id agendum, ut Quæſtionis propoſitæ partem affimantem, quam ſuſcepimus demonſtrandam, ſuis muniamus agumentis.

Primum autem inde deſumimus, quod Canonici & Capitulares Ultrajectini, ſint ſuorum illorum bonorum & iis annexę in Rep. ὑπεροχῆς, poſſeſſores bonæ fidei, non tantum in foro ſoli, ſed etiam in foro poli, quod tranquillandis eorum Conſcientiis pleniſſimè ſufficit: Is enim eſt effectus bonæ fidei in omni poſſeſſione, ut reſpectu rei poſſeſſæ animum poſſidentis tranquillet, ejuſque conſcientiam imperturbatam relinquat: Ideo ICti bonæ fidei poſſeſſorem eum dicunt eſſe qui *illæſam* rei poſſeſſæ *habet conſcientiam*, eo quod domini cogitatione poſſideat: Hoc etiam titulo ſe Jepthe defendebat adverſus Hammonitas Jud: xi, com 15. 16. & ſeqq. quod videlicet Iſraelitæ ſibi divinitùs conceſſum & datum territorium Emoræorum, per trecentos annos, jure hæreditario & bonâ fide poſſediſſent.

Iam verò negari nequit Canonicos eo magis bonâ fide poſſidere, quo certius eſt ipſis per ſua Capitula & in illis convenire rerum ſuarum verum & legitimum Dominium. Hoc agnoſcit is ipſe Celeberrimus Vir, cujus verba ſub finem Capitis præcedentis retulimus ex *Fratern. Mar. p.* 446. ubi porrò ita loquitur; *Circa ordinem, regimen & poteſtatem politicam, quam per Leges hujus Reip. & per conſenſum eorum quorum intererat, ratione PRÆDIORUM & DOMINIORUM SUORUM antiquitùs obtinuerunt, & nunc per* 18. *Viros Electos adhuc exercent*, (vitium eſt in numero, nam octo tantum ſunt Electi) *ſcrupulum aut difficultatem Canonicorum Conſcientiæ non movent Theologi*,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

nec Eccleſiæ. Ergo nec eorum admiſſio ad regimen traduci debet ut illegitima & *malum neceſſarium*, ac conferri cum putredine in pomo, ut fit à nupero noſtro Cenſore; nec quicquam moveri poteſt circa illam *Prædiorum & Dominiorum Suorum* poſſeſſionem legitimam, cui ita innexa eſt illa Poteſtas Politica, ut unâ ſublatâ vel negatâ alteram concidere neceſſe ſit: Et per conſequens cùm non poſſit negari Capitulis & Canonicis legitimè competere ſupremam illam Poteſtatem & primi membri in Rep. dignitatem, quam ſuſtinent in Provincia adminiſtranda cũ duobus alijs membris, Equeſtri & Oppidano, eo ipſo legitimi debent cenſeri poſſeſſores Prędiorum & Dominiorum ſuorum, quorum ratione illa ſuprema Poteſtas illis convenit; Nam propter quod unum quodque tale eſt illud magis tale eſt: Quare debet eſſe legitimum Dominium horum bonorum penes Capitula & Canonicos, eo quod legitima agnoſcitur eorum Poteſtas & Majeſtas in Rep. quæ ceſſante illo Dominio nulla foret.

Ecquis enim quæſo dubitet eos eſſe legitimos dominos, & per conſequens poſſeſſores bonæ fidei, rerum ſuarum, quorum Authoritas, quæ nulla foret ſublato illo legitimo Dominio, ut ſublato fundamento corruere debet quicquid ei ſuperſtructum fuerit, tam ſolemniter agnita fuit & conſervata à tempore reſtitutæ Libertatis & Reformationis inſtitutæ? An ordo Equeſtris tam cordatè ſe oppoſuiſſet Leyceſtrenſi tempore, iis qui hoc primum Reip. membrum reſectum tanquam inutile & putre volebant, niſi legitimam ejus agnoviſſet Authoritatem? Authoritatem verò legitimam quî potuerit agnoviſſe, niſi legitimum agnoviſſet Dominium ejus in illa ſua prædia & bona, cujus ratione hæc Authoritas ei competit? An Ampliſſimus Urbis Magiſtratus, adhuc anno 1618. tam ſolemniter promiſiſſet Electis & Canonicis, quod ipſos vellet conſervare & tueri in *ſuo ſtatu* & *ſuis bonis*, ſub approbatione ſolemni Decretorum jam ante factorum annis 1582. & 1610. niſi eos agnoſceret pro legitimis bonorum illorum ſuorum dominis? Nam ſanè pius Magiſtratus, qualis ille eſt, nollet ſe conſtituere receptatorem Latronum & Piratarum, & ſolemniter ſe obligare ad eorum protectionem & tutelam in bonis ceu *ſuis*, quæ tamen illorum non eſſe pro comperto haberet. An uterque Ordo illius Provinciæ, Equeſtris & Oppidanus, poſſet bonâ conſcientiâ cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

illis, ceu legitimis ſecum ſupremis Domnis, Remp. adminiſtrare, ſi eorum Poteſtas & ὑπεροχὴ in Rep. omni deſtituitur legitimo fundamento? Ut certè nullum eſt fundamentum, ſi ſuorum bonorum non ſint domini legitimi & poſſeſſores bonæ fidei; quandoquidem ratione illius Dominij & legitimæ poſſeſſionis, hæc illa Poteſtas in Rep. ipſis competit; Prout nullam amplius jure haberent vel habere poſſent talem Poteſtatem, ſi illo Dominio illaque poſſeſſione ſuorum bonorum vel ſe ipſos abdicarent, vel penitùs exciderent.

Ut autem certum eſt Canonicos & Capitula legitimos dominos eſſe & poſſeſſores bonæ fidei rerum ſuarum in foro ſoli, ita non video quî tales poſſint negari in foro poli. Nec enim labefactatur in hoc foro, legitimum in illo Dominium & poſseſſio bonæ fidei, niſi per infidelitatem poſſidentis, aut ſicubi rebus ſuis in Creatoris contumeliam abutitur: Hoc ſenſu magnus Theologus, nempe P. Molinæus, *Anat. cap.* 32. §. 18. ita loquitur; *Quiſquis fide in Chriſtum caret, filius Dei non eſt, ac proinde non poteſt eſſe hæres juſtuſque poſſeſſor bonorum terrenorum*, nempe in foro poli, *quantumcunque virtutibus civilibus emineat*: Huc quoque nos ducit Apoſtolus non uno loco; Nam Rom: XIV, 23. dicit eum eſſe condemnatum *qui non edit ex fide*; & Tit. 1, 15. *Omnia*, inquit, *munda ſunt mundis*, *pollutis autem & incredulis nihil eſt mundum*; *ſed polluta eſt eorum & mens & conſcientia.*

Sed neminem ſanæ mentis repertum iri putē, qui Canonicos Ultrajectinos *pollutis & incredulis* velit annumerare, ut ex hoc fundamento illis abroget legitimum rerum ſuarum Dominium in foro poli: Nam præterea quod ſtant vel cadunt ſuo Domino, cùm Orthodoxam Religionem profiteantur, cùm ſint membra Eccleſiæ Reformatæ, cùm tales eſſe debeant ex lege publica ad illa ſua bona legitimè poſſidenda, cùm Ordines Provinciæ unanimiter declaraverint apprimè id facere ad promotionem Gloriæ Divinæ, Religionis Orthodoxæ, & vitæ piæ ac honeſtæ, ut omnes Canonici & Capitulares tales ſint, non video quî poſſent *incredulis & pollutis* annumerari, ut inde poſſeſſores malæ fidei, ſaltem in foro poli, ſtatuantur.

Nec amplius quis dixerit, ſi ſtatuat eos poli reſpectu poſſe ſtatui poſſeſſores malæ fidei, quod rebus ſuis non benè utantur: Nam etſi quidam ex illis, quod credere nolim, ſuis reditibus abuterentur ad

diſſolutionem & luxum, id non facerent formaliter quà Canonici, ſed quà prodigi, nihilque perſonalia hæc vitia, cauſæ præjudicare poſſent.

Si dicas abuſum in eo eſſe communem quod bona hæc non cedant Eccleſiæ cujus ſint, tum pertendis eos etiam in foro ſoli, non habere legitimum rerum ſuarum Dominium, adeoque nec eſſe poſſeſſores bonæ fidei, contra quam probatum eſt: Nam res eadem nequit eſſe ſimul duorum legitimorum dominorum, ut nemo poteſt, juxta dictum Chriſti, ſervire duobus dominis: Adeoque quicquid eſt in legitimo Dominio Capitulorum & Canonicorum, eo ipſo Eccleſiæ ſic propriè dictæ, ideſt cœtus fidelium Reformatorum, in Urbe Ultrajectina, aut illius Miniſtrorum & Paſtorum, eſſe non poteſt: Aut ſi Canonici non ſunt legitimi domini illorum ſuorum bonorum, multo minus ex illorum bonorum Dominio, ſupremi Domini in Rep. ſunt agnoſcendi: Neceſſe enim eſt tantum decedere de eorum Politica Poteſtate, quantum decederet de illo rerum ſuarum legitimo Dominio.

Poſtea etiam ſuo loco & ordine diſtinctiùs oſtendam, quod neque ex parte bonorum illorum quæ poſſidentur, neque ex parte titulorum ſub quibus poſſidentur, neque ex parte modi per quem illa bona acquiri ſolent ab eorum poſſeſſoribus, poſſit ſtatui polluta & contaminata conſcientia poſſeſſorum; Sed hoc ſaltem maneat primum noſtrum argumentum, Omnes bonâ & illæsâ conſcientiâ poſſunt uti frui bonis quorum ſunt legitimi domini & poſſeſſores bonæ fidei: Atqui Capitula & Canonici ſunt legitimi domini & poſſeſſores bonæ fidei iſtorum bonorum de quibus nunc agitur; Ergo bonâ & illæsâ conſcientiâ poſſunt uti frui illis bonis.

Huic meo argumento nonnulla ſunt quę recens opponuntur: Primū quod ipſimet Canonici ſciant, mihique ipſe ſim conſcius, & ita Ordines ipſi Ultrajectini ſenſerint 4. Nov. 1606. multa eſſe bona in iſtis quinque Capitulis, quæ illegitimè poſſidentur & abſumuntur: Sed bene eſt quod nunc non movetur controverſia Canonicis de omnibus ſuis bonis, ſed tantum de quibuſdam; eorum adverſariis ſe componentibus tacitè ad tranſactionem, ex Adagio vulgari, *Dimidium plus toto.* At verò hæc eorum bona & beneficia ſunt omnia ejuſdem ordinis & naturæ:

naturę: Et quã nullâ ratione ſum aut poſſum eſſe mihi conſcius quidpiam ex illis malè poſſideri vel abſumi, ſic nec putem quemquam ex D. D. Canonicis id de ſe confeſſurum. Quamvis non deſinat eſſe poſſeſſor bonæ fidei, qui re poſſeſsâ non utitur ut deberet. Poteſt legitima manere κτῆσις, ubi χρῆσις eſt vitioſa. Nec ſi Ordo Equeſtris cujus προβούλευμα citatur *Conſult. Theol. p. 2. pag.* 93. cenſuit ex bonis quæ in Ultrajectina Provincia *Eccleſiaſtica* dicuntur, proſpiciendum Miniſterio, ea neceſſariò intellexit quæ à Canonicis poſſidentur; cùm multa alia ſint ejus nominis, de quibus & hoc decretum 4. Nov. 1606. & literæ D. D. Ordinum Generalium *ibid.* relatæ, ceu ſcriptæ 14. Junii 1632. poſſint ac debeant intelligi: Nec ſi ſenſerunt vel Nobiles in Provincia, vel Ordines Generales extra eam, vel poſtea Senatus Ultrajectinus anno 1655. quędam ex illis bonis poſſe aſſignari piis uſibus & ſubſidiis Paſtorum, ideo eorum poſſeſſores eouſque, *malæ fidei* accuſarunt; ut ἀπροσδιόνυσα ſint ad hanc rem quæ *ex pag.* 144. 186. 187. *Conſult. Theol. p.* 2. illius Hyperaſpiſtes vult conſuli contra hoc meum argumentum.

Secundò objicitur indicium eſſe malæ fidei in Canonicis quod *fundationum* ſuarum titulos nolint exhibere, & jurent ſe non exhibituros: Verùm cùm nemo *ad exhibendum* conveniri poſſit, niſi coram ſuo judice, Capitula vero primum membrum ſupremi Magiſtratus conſtituentia in Rep. coram ſe ſuperiori conveniri nequeant, non foret trahendum in malæ fidei criminationem, quod ad majeſtatis & axiomatis ſui in Rep. tuitionem, ſuarum fundationum titulos exhibere nollent iis qui nullum jus habent eas exigendi. Nec ſi jurant Canonici ſe non evulgaturos *ſecreta* ſuorum Collegiorum, inde ſequitur eos eſſe poſſeſſores malæ fidei; cùm in omnibus Collegiis ipſo jure naturali id obtineat, ut eorum ſecreta à nemine qui illis intereſt temerè divulgentur. Nullum eſt regimen inter homines quod ſua quaſi Arcana non habeat, quæ effutiri non debent. Et quam hoc Canonicorum juramentum de arcanis ſuorum Capitulorum non revelandis iniquè trahatur in argumentum malæ fidei cujus ſibi ſint conſcii, vel inde liquere poteſt quod fuerit in uſu ante tempora Reformationis, quibus metuendum illis non erat ſe poſſe conveniri *ad exhibendum* titulos & documenta fundationum ſuarum.

Tertiò,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

Tertiò objicitur, etiam Socinianos, Quakerianos, Præadamitas, (nihil enim tam turpe vel odioſum eſt his hominibus, cui Canonici non veniant conferendi) tranquillo eſſe animo, nec ideo tamen minus reprehendendos. Sed ita ſaltatur extra chorum. Hîc enim non diſputo de errore in doctrina, ſed de rerum terrenarum poſſeſſione bonæ fidei, quæ etiam cadere poteſt in turpiſſimum hæreticum, qui cogitatione domini, vel authore Prætore poſſideat. Quod ſi animo tranquillo ſunt Canonici in ſua poſſeſſione, cur ergo eos ſibi conſcios dicis ſuæ malæ fidei? Conveniet nulli qui ſecum diſſidet ipſe.

CAPUT TERTIUM.

Argumentum ſecundum, petitum ex Scripturis, tam negativè quam affirmativè.

QUoniam verò in caſibus Conſcientiæ decidendis, reſpiciendum ante omnia ad Scripturas, quæ poſſunt nos ſapientes reddere ad ſalutem & perfectè inſtructos ad omne bonum opus 2. Tim: III, 15. 17. videre inprimis debemus num ex illis hujus Quæſtionis deciſio queat haberi. Si enim Scriptura condemnet Canonicorum factum, fruſtra quis niteretur illud tueri vel excuſare: Sin minus, oleum & operam perdent qui tanto cum impetu in illud invehuntur: nam *quod de Scripturis non habet authoritatem, eadem facilitate contemnitur quâ probatur*, inquit Hieronymus *ad* 23. *Matt.*

Inde autem poſſim argumentari bifariàm: Primum negativè; Nam nullum hactenus reperij, nullum citari vidi textum Scripturæ, ex quo clarè & apertè Canonici queant convinci peccati coram Deo, in horum ſuorum bonorum poſſeſſione: Video quidem cogi nubes atras & denſas teſtimoniorum humanorum, parum huc, parum ad conſcientiam facientium, & de quibus ſuo loco aliquid dicam; ſed nulla hactenus vidi teſtimonia Scripturæ directè hîc ſtringentia, vel quæ huic Quæſtioni poſſint applicari aliter quam per remotas admodum, intricatas & valde incertas conſequentias; Quarum pleræ-

que

que non ſunt iis diſſimiles, quibus adverſarii ſolent Orthodoxiam noſtram impugnare, prolatis aliquot Scripturæ teſtimoniis, quæ ubi veniunt applicanda quæſtioni controverſæ, nihil ad rem facere deprehenduntur.

Interea tamen qui factum proximi ſui improbat & arguit graviſſimi coram Deo peccati, debet ad id niti probationibus apodicticis ex Scriptura, & quæ convincendæ ejus Conſcientiæ plenè ſufficiant; ne videatur Pythagoricum αὐτὸς ἔφα, inſtar Pontificis ex Cathedra definientis, ſubrogare Petri Adagio apud Clementem Alexandrinum, οὐδὲν ἄτερ γραφῆς: *Nihil abſque Scriptura.* Non debet adulterii accuſari, quæ ad aquas Zelotypiæ adducta, earum probationem abſque nocumento potuit ſuſtinere. Si duo homines de eodem facto judicent contrarium, graviorem dubioprocul Provinciam ille ſuſtinet & longè difficiliorem, qui accuſantis & condemnantis partes ſibi impoſuit, quam qui defendentis & excuſantis: Nam huic militat officium Chriſtianæ Charitatis, cujus eſt, quoad fieri poteſt, in meliorem ſenſum proximorum facta interpretari, niſi evidenter condemnentur in Scripturis. At ille non poteſt vitare notam & violatæ Charitatis & judicij temerarii, niſi luce meridianâ clariùs ſententiam ſuam adſtruxerit ex Dei Verbo; Affirmanti enim incumbit probatio, & actore non probante abſolvitur reus: Et ſi probationis loco protulerit longè petitas conſequentias, frigidas conjecturas, præſumptiones dubias, eo ipſo nihil probaſſe cenſebitur, ſed potiùs ita agendo eos abſoluiſſe quos condemnatos volebat.

Igitur ut benè, affirmantibus Pontificiis ignem Purgatorium, panis Tranſſubſtantiationem, Confeſſionis Auricularis aut Cœlibatus neceſſitatem, Sanctorum invocationem, Preces pro mortuis, Imaginum erectionem in Templis & ſimilia, ſimplicem noſtram negationem opponimus, eo quod nihil horum extet in Scripturis, ex quarum authoritate ideo benè argumentamur negativè, quod ſint unica & perfecta norma fidei & morum, credendorum & faciendorum; Sic in hac deCanonicis Quæſtione jure pertendo nullius culpæ eos eſſe accuſandos, eo quod ex Scripturis Sacris nihil promi queat quod ad eorum condemnationem evidenter & neceſſariò ſpectet. Nam id omne in genere morum pro licito & legitimo debet agnoſci, quod

 non

non conſtat liquidò & evidenter prohiberi ac damnari Dei Verbo. Atqui factum Canonicorum liquidò & evidenter prohiberi & damnari Dei Verbo, probatum hactenus non fuit, nec probari poteſt.

Video quidem eos qui expreſsè in id intenderunt, proferre primò dictum Jeremiæ VII, 18. *Ecce vos habetis fiduciam veſtram in verbis falſis, minimè profecturis*; quo unico Scripturæ dicto fulciunt primum gravamen quod in hoc facto volunt obſervari, in libro Belgico qui inſcribitur *Conſil. Theol. pag.* 6. Sed ſi dicendum quod res eſt, æquè facit ad probandam poteſtatem Temporalem & Spiritualem Papæ, quod dixerunt Apoſtoli, *Ecce duo gladii*, ac ad pulſandam Canonicorum Ultrajectinorum poſſeſſionem & authoritatem illud Prophetæ teſtimonium, ut cuivis lectori cordato ſatis apparet: cùm multo potiori jure Canonici, ſuis ſeverioribus illis Cenſoribus queant objicere illud ejuſdem Prophetæ eodem capite VII, com. 4. *Ne habetote fiduciam veſtram in rebus falſis, dicendo, Templi Iehovæ, Templi Iehovæ, Templi Iehovæ, iſta ſunt.* Volunt enim falſò bona quæ poſſident Canonici, eſſe Templi Jehovæ, & Eccleſiæ teſtitui debere.

Deinde *pag.* 10. *ejuſd. libri*, citantur pro ſecundo gravamine adſtruendo, loca Gal: VI, 6. 1. Cor: IX, 7. 9. 11. 14. 1. Tim: V, 17. 1. Theſſ. V, 12. 13. 2. Theſſ: III, 10. Sed nullis fidiculis poteſt ex illis quicquam extorqueri quod faciat ad hanc cauſam: An quia dixit Apoſtolus Gal VI, 6. *Communicet qui inſtituitur in ſermone cum eo qui ſe inſtituit omnia bona*, debent potius Canonici ſe exuere omnibus ſuis bonis in uſum Paſtorum Eccleſiæ, quam reliqui Cives Ultrajectini? Id nec audet aſſerere Sycophanta publicus, qui hoc argumentum vindicaturus, tantum inde colligit teneri Canonicos ampliùs conferre in uſus Sacros quam cœteros; quod neque diffitemur, ſi pro ratione facultatum cujuſque, ad hanc rem capitatio inſtituatur. Si enim fuerint ditiores cœteris, liberaliores quoque debent eſſe; ſed non ideo ſua beneficia relinquere. An quia Miniſtris Verbi ſuum debetur honorarium & ſtipendium ab Eccleſia, quò faciunt quæ proferuntur ex 1. Cor: 9, & 1. Tim: 5, & 1 Theſſ: 5. Canonici & Electi Ultrajectini, non ſunt legitimi domini & poſſeſſores bonæ fidei ſuorum proventuum? Neque ſanè illi deficiunt in iis quæ ſpectant Miniſterij ſacri exercitium & conſervationem; Nam præter id quod eorum

quiſque

quiſque liberaliter confert in uſum pauperum pro Conſcientiæ ſuæ dictamine, Capitula quotannis ſatis grandem ſummam expendunt in ſtipendium Paſtorum Eccleſiæ Ultrajectinæ, & ad fabricam Templorum ſuorum, in quibus Dei Verbum annunciatur, omnes ſumptus neceſſarios faciunt. Nec minus benè proſpiciunt illis Eccleſiis ruralibus, quæ ex jure Patronatus eorum ſubſunt proviſioni, ut nullis aliis totâ Provinciâ, aut etiam forte in Fœderato Belgio, meliùs proſpectum ſit. Hic verò illis applicare, ut fit à publico Sycophanta, locum Prov: XII, 10. quod *miſerationes improborum ſint miſerationes crudelis*, nemo poteſt niſi vel qui ad Paſquillos ſcribendos ex Scriptura aptior fuerit, more Italico, quam ad illam ſuis uſibus legitimis applicandam, vel qui domi alat hirudinis duos ramos, & cujus animus, ſimilis ſepulchro, igni, terræ aridæ & vulvæ ſterili, nunquam dicit *Satis eſt* Prov: XXX, 15. 16. An quoniam is qui *non vult operari non debet etiam edere*, juxta locum 2. Th: III, 10. inde magis colligitur Canonicos Ultrajectinos eſſe damnandos, quam eos vel Nobiles vel Cives in eadem Provincia, qui nullum artificium exercentes, vel nullo munere publico defungentes, ex ſuis reditibus vivunt & ſuſtentantur? Ne dicam otioſos & inutilia pondera terræ dici non poſſe Canonicos, (ja meer als leeghgangers en erger / ut S. P. conviciosè aſſerit, non probat) quorum Collegia *tot præſtantibus Viris* conſtantia, uti quondam dicebantur Celeberrimo D. Voetio, ſunt ſeminaria Reip. quoad prius membrum, imò etiam quorum plerique Arte & Marte ei dextrè & utiliter inſervire poſſunt.

Tertiò *pag.* 12 *& ſeq.* alia proferuntur loca æquè parum apta huic deciſioni: Urgetur præſertim ſolemne Chriſti dictum quod extat Matt: XXII, 21. Sed ἀπροσδιονύσως: Reddimus enim *Deo quæ Dei ſunt*, juxta Chriſti mandatum, cùm ei exhibemus honorem & cultum quem nobis præſcripſit in ſuo Verbo. Nec magis ex hoc dicto poteſt colligi debere Canonicos ſua bona cedere Eccleſiæ Reformatæ Miniſtris, & uſibus ſacris impendere, quam reliquos omnes cives, quorum bona æquè ſunt Dei, cujus nempe *terra eſt & plenitudo ejus*, ut liquet ex Pſal: XXIV, 1. Adde locum ipſimet Authori *p.* 2. *Conſ. Theol.* citatum ex Lauceloto Andræa, homine noſtris & Calvino infenſiſſimo, *pag.* 42. quò nos remittit S. P. neſcius quid dicat, ex 1. Chron. XXIX,

 14. Ma-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

14. Magis enim eſſe Dei bona Canonicorum quam aliorum, dicere quidem poſſunt nuperi iſti Doctores, per egregiam petitionem principii, probare non poſſunt. Imò hoc ipſum Chriſti dictum poſſent Canonici retorquere in eos, qui cùm agnoſcant Capitulis & Electis competere ὑπεροχὴν primi membri in Reip. regimine, & cum duobus aliis Ordinibus ſupremam Majeſtatem, illorum nihilominus ſtatum tot pulſant arietibus, tot machinis everſum eunt, tot impetunt accuſationibus & convitiis; quod ſanè non eſt Cæſari reddere quæ Cæſaris ſunt. Dum enim profitentur iſti homines maledici ſe primo Reip. membro *quà tali* non opponere nec maledicere, eſt planè abſurdum & continet proteſtationem contra factum, quæ nihil operatur: ſiquidem Canonici primum Reip. membrum non conſtituunt, niſi quà poſſidentes illa bona; atqui illis ſub illo formali maledicitis, & eos tanquam canes & Achanes & fures traducitis; ut quæ hîc de fallacia *compoſitionis & diviſionis* nugantur Sycophantæ, planè ſint puerilia, nec ſubſiſtere queant.

Idem ſtatuendum de loco Mal: III, 8.9.10. Quid enim ad Canonicos, res ſuas quondam idolo detractas, authoritate publicâ & maximè prædeceſſorum ſuorum, bonâ fide poſſidentes, & earum legitimos dominos, (uti jam probatum eſt, etiam ex virorum Magnorum, illis tamen adverſantium, confeſſione) increpationes eorum qui decimas & oblationes Lege Dei præſcriptas non pendebant? Sanè nec decimis & oblationibus Lege Dei præſcriptis, ullus ſanus Theologus meritò annumeraverit dotationes Superſtitioſas & Idololatricas ex quibus enatæ ſunt illæ Præbendæ, quarum nunc uſumfructum bono titulo poſſident Canonici Ultrajectini; nec illæ Deo fuerunt ereptæ per Sacrilegium, ſed Idolo & cultui illicito per ſanctiſſimam Reformationem, quæ proceſſit juxta id quod jam olim prædictum fuerat á Johanne Apoc: XVI, 19. & XVII, 16.17. tandem deſolandam Babylonem, & eam ſpoliandam ſuis opibus & reditibus, ut etiam ad ultimum hunc locum Doctiſſimi Belgæ Interpretes annotarunt. Et dum negant Sycophantæ hæc bona *Idolo* detracta fuiſſe *debitâ formâ*, partim confitentur Idolothyta ergo ea fuiſſe, partim accuſant informalitatis ſupremum Magiſtratum, circa ordinem in ſua Provincia conſtitutum. Quin blaſphemiæ accedit, quod ſta-

tuunt, non minus Deo deberi, quæ Idolo abuſivè fuerint conſecrata, ac oblationes quæ ſibi juſſerat offerri ſub Veteri Teſtamento. Quâ ergo Conſcientiâ divitiæ & reditus Babylonis, quibus & origine & conditione verè conveniebat eſſe Mammona iniquitatis, conferentur cum decimis & oblationibus à Deo expreſsè mandatis ſub Lege, ut illorum direptio & applicatio ad uſus merè civiles, ex juſto Dei judicio, & juxta id quod prædictum fuerat in Scripturis, non minus Sacrilegij accuſetur, quam iſtarum detentio; & ita Reformati illa opima ſpolia Babyloni detracta poſſidentes optimo titulo, juxta Reip. conſtitutionem, tanquam Sacrilegi ex Prov: xx, 25. Rom: 11, 21. tanquam Achanes ex Joſ: vII, 7. 25. tanquam Ananiæ & Sapphiræ crimini affines ex Act: v, 3. 5. traducantur? Quid eſt quæſo ludere in re ſeria, aut ipſi Sacræ Scripturæ illudere, ſi hoc non eſt? Ananias & Sapphira mentiendo Spiritui Sancto intercipiebant mediam partem pretii quod totum Deo devoverant, & ſe totum proferre ſimulabant: Canonici nihil de ſuo voverunt, nihil etiam de illo ſupprimunt, nec mendacij in Spiritum Sanctum accuſari, nedum argui poſſunt. Achan clam Joſua & Magiſtratu, ſurripuerat ex interdicto, quod illi fuit revera *aurum Tholoſanum*, ut eſt in adagio; at Canonici ſua poſſident Supremo Magiſtratu non conſcio tantum ſed authore; Neque poſſunt citra convicium accuſari *Sacrilegii* qui ſunt emptores & poſſeſſores bonæ fidei. Quæ verò hîc congerit S. P. ut Canonicos Achane pejores, deteriores Ananiâ & Sapphirâ faciat, talia ſunt quæ tortori punienda, non Doctori refutanda incumbunt.

Quamvis autem Canonicis Ultrajectinis in hac Quæſtione abſolvendis ſufficeret, quod ex Scriptura nihil adfertur ſolidi, imò nihil, ſi propiùs attendatur, quod ſpeciem veriſimilitudinis præ ſe ferat, unde ullius culpæ in bonorum ſuorum poſſeſſione queant convinci, pergam tamen ulteriùs, & ex ipſa Scriptura Quæſtionis quam hîc tracto partem affirmativam apertè comprobabo.

Tria igitur præcipuè mihi videntur occurrere in Scripturis ex quibus ſatis evidenter hic caſus deciditur. Primum eſt id quod modò tetigi vaticinium Johannis Apoc: xvII, 16. 17. ubi Reges & Principes qui antea ſua cornua Babyloni commodaverant, & robur illi addiderant, dicuntur eam tandem odio proſequuturi atque deſertam reddituri &

nudam, *ejuſque carnes exeſuri*, & illam igne exuſturi. Omnes Interpretes noſtri hoc vaticinium intelligunt de bonis & reditibus Pſeudo-Eccleſiaſticis, quibus Babylon turgebat, ei tandem detrahendis & auferendis per Principes & Magiſtratus Chriſtianos, pertæſos illius tyrannidis, atque in eorum uſus applicandis & traducendis. Nec video quî aliter poſſit ſumi illa phraſis quod ejus *carnes* ſint comeſturi; quâ ſanè Spiritus Sanctus uſurus non fuiſſet, ſi hæc bona à Magiſtratu erepta Babyloni, neceſſariò debuiſſent quaſi poſtliminiò reſtitui Eccleſiæ Reformatæ, ceu illi debita & ejus propria: Nam exedere non eſt alii reddere, ſed in rem ſuam uſumque ſuum convertere; quo ſenſu iniqui & duri Magiſtratus dicuntur exedere populum Pſal: XIV, 4. quia non contenti tondere pecus illud deglubunt, & plebis ſubſtantiam in ſuum ærarium inferunt. Ideo Belgæ Interpretes, id omne ita reddunt, *n.* 41. Sullen haer incomſten ende ryckdommen die ſy upt haere landen troch / haer weygeren ende ontnemen / ende ſelve tot haer eygen nut aenwenden / &c. Quæ ſanè ultima verba oſtendunt bona hæc Babyloni eripienda, applicanda fore à Principibus & Magiſtratibus Chriſtianis proprio ſuo commodo, non verò tanquam pia, religioſa, ſacra, reſtituenda neceſſariò Eccleſiæ; Ut ſeipſum hic excœcaſſe ultrò videatur S.P. dum admittens in ſpeciem Notas Belgicas hujus loci, negat tamen Magiſtratus pios hæc bona in ſuos uſus, tot haer eygen nut / converſuros. Hinc ergo hoc exſurgit argumentum; Illi non poſſunt culpari in Beneficiorum Pſeudo-Eccleſiaſticorum uſurpatione, qui faciunt quod per Babylonis pios hoſtes futurum prædixerat & faciendum voluerat Deus; Atqui Canonici Ultrajectini, uſurpando ad uſus civiles & ſæculares bona Pſeudo-Eccleſiaſtica Babylonis Romanæ, faciunt revera quod per pios deſtructores Antichriſti faciendum prædixerat & voluerat Dominus; Ergo extra culpam ſunt collocandi. Hic namque aſſerere cum S. P. quod Babylonica Meretrix maneat Ultrajecti non ſolum non deſolata, aut exoſa, ſed è contrario chara, amica & in deliciis, eſt contra Solem loqui. Verùm is ſcriptor videtur nonniſi benè potus cum Ennio ad arma proſiliiſſe, & toto ſuæ ſcriptionis tempore ſi amens penitùs non ſit, ſaltem conſtanter ebrius fuiſſe.

Neque hîc poſſum præterire quod Fabricius Boderianus, Pontificius

cius Scriptor, Præfatione ſua ad Henricum III. quam præfixit Novo Teſtamento Græco-Syriaco-Latino, excuſo Pariſiis anno 1584. refert de Joachimo Abbate Calabro, eum prædixiſſe grandia mala Eccleſiæ Romanæ ejuſque Antiſtitibus eventura, ac inter alia *maximam partem bonorum & divitiarum quas Principum munificentia & liberalitas illis affatim tribuerat, ab iiſdem ablatum iri, quoniam eæ ſunt ſpinæ quæ bonum ſemen verbi Dei, in cordium humanorum terra ſatum & inſitum frequenter ſuffocent, & ex quibus contexta eſt & complicata corona quæ caput Chriſti in corpore Myſtico Eccleſiæ vehementer pungit & vulnerat.* Ac prout obſervant Belgæ Interpretes ad locum ex quo nunc argumentamur *n.* 39. quod jam nonnulli id ipſum fecerint, & porrò rogandus ſit Deus ut reliqui ſequantur, ita agnoſcunt hanc bonorum Babylonicorum direptionem per Magiſtratus & Principes, & eorum applicationem ad ſuos uſus Civiles & Politicos, **tot haer eygen nut**/ rem eſſe legitimam & Deo gratam. Quæ enim hîc garriunt Anti-Canonici, de his bonis *ad pios uſus* neceſſariò transferendis, parum conveniunt cum optimi Regis Ezechiæ mandato ad Levitas 2. Paral: XXIX, 5. de efferendo ac ſeparando à Sancto quod pollutum erat, ideſt, juxta ipſos Doctiſſimos Interpretes Belgas, *quicquid polluerat templum, per Idolorum miniſtros & cultum*; **al wat den Tempel door de afgoden dienaren / ende den afgoden-dienſt verontreynicht hadde.** Volebat Rex Sanctiſſimus à re Sacra ſeparari, & profanis ac civilibus uſibus relinqui id omne quod Idolothyton fuerat: Hi verò vellent omnia Pontificiorum Idolothyta, in Eccleſiæ ærarium inferri & ad pios uſus neceſſariò tranſferri, quoniam eorum avara pietas & pia avaritia eſt planè inſatiabilis, nihilque diſcriminis inter ſacrum & profanum vult agnoſcere.

Alterum quod in Scripturis occurrit apprimè faciens decidendæ huic Quæſtioni, extat apud Paulum 1. Cor: VIII, 7. & X, 21. 25. 26 27. ubi docet Apoſtolus Idolothytôn ſive eorum quæ Idolis oblata & conſecrata fuerint, uſum & eſum eſſe licitum ſub triplici limitatione; Primò ſi non procedat *ex conſcientia idoli*; Secundò ſi non importet communionem & ſocietatem Religionis cum Idodolatris; Tertiò ſi non adſit ſcandalum & læſio infirmorum. Quæ autem erat ratio Idolothytôn Paulo commemoratorum, eadem eſt omninò bonorum eorum quæ Babyloni erepta Eccleſiaſtica abuſivè & cata-

chreſticè appellantur: Erant enim revera in Papatu Idolis conſecrata & cultui ſuperſtitioſo atque Idololatrico fovendo, conſervando, promovendo, deſtinata: quod poſtea latiùs probabimus. Sufficit nunc obſervaſſe quod quaſi carnem & ſubſtantiam ipſius Babylonis conſtituerent, ut modò viſum. Quare eadem libertas Chriſtianis eſt concedenda circa uſum & poſſeſſionem iſtorum Beneficiorum Pſeudo-Eccleſiaſticorum, quæ illis debetur circa eſum & uſum Idolothytôn; nec putem poſſe quemquam ſuſpicari ullam diſtinctionem inter hæc duo, aut ſomniare ſimilium ſimilem rationem non eſſe ſtatuendam. Igitur non minus licitus eſt uſus horum bonorum, quam Idolothytôn tempore Apoſtoli; modò abſit conſcientia Idoli, profeſſio vel expreſſa vel interpretativa communionis religioſæ cum Idololatris, & ſcandalum infirmorum. Atqui Canonici Ultrajectini utuntur & fruuntur iſtis bonis olim Idolo conſecratis, citra Idoli conſcientiam, communionem Religioſam cum Idololatris, & ſcandalum infirmorum; Ergo licitè illis bonis utuntur & fruuntur.

Abeſſe ab ipſis conſcientiam Idoli, communionem Idololatrarum & ſcandalum infirmiorum, & res ipſa loquitur, cùm omnibus conſtet eos eſſe Religionis Reformatæ, quam palam & publicè profitentur; & Synodus Nationalis Medioburgenſis jam olim judicavit: cenſuit enim eos ſua Beneficia retinere & poſſidere abſque Idololatria & ſuperſtitione. Nullam ſanè habent conſcientiam Idoli, quia ſi eâ ducerentur, aut nollent iis uti bonis, aut vellent præſtare cultum Idololatricum cui olim illa bona deſtinabantur, à quo ſunt remotiſſimi: Nullam retinent communionem Religioſam cum Idololatris, quam execrantur, & quibus ob hæc bona poſſeſſa ſunt viceversâ execrationi. Nemini denique fratrum ſuorum ſunt ſcandalo, ex ea opinione quod licitum faciant ſuo exemplo his bonis uti ex Idoli conſcientia; cùm nemo ſit qui id de illis ſuſpicetur: Et ſi qui ex odio quo in illos feruntur aut ex ſtudio rerum novarum in Republica, ſperantes ejus mutatione melius ſibi proſpectum iri, vel fingunt ſe offendi eorum facto, vel prætexunt infirmiorum ſcandalum, illi tam parum audiendi mihi videntur, ac is Leydenſis Anabaptiſta, qui occurrens in platea magno Theologo D. F. Gomaro, ineptè profitebatur ſe offendi & ſcandalizari quod ſpira, quam Vir ille Reverendus & Celeberrimus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

rimus habebat circa pileum ſuum, ejus judicio juſto craſſior eſſet. Qui ſuis affectibus ſcandalum prætexunt, graviſſimè peccant coram Deo; Et ſi qui ſupereſſent in Eccleſia Ultrajectina eouſque infirmi & parum inſtituti de Libertate Chriſtiana, ut revera contriſtarentur & offenderentur de Canonicis, Paſtorum ſuorum foret non illam fovere infirmitatem, ei adulando & eam propugnando, ſed eos meliùs erudire, & omnem ſcrupulum illis eximere: Et ſanè in ejuſmodi ſcandalo mixto, quod *infirmorum* appellant Theologi, non minor eſt culpa ſcandalizati, (nequid gravius dicam) quam ſcandalizantis: Nam ſi hic peccat ex incogitantia & imprudentia, dum libertate ſuâ non ſatis tempeſtivè utitur, ille viciſſim peccat tùm ex ignorantia, quod non ſatis intelligat quouſque extendantur limites Chriſtianæ Libertatis, tùm ex Charitatis defectu, dum in ſequiorem ſenſum rapit facta fratrum ſuorum, de quibus benigniùs judicare & meliùs ſperare, aut ſaltem ſuum judicium potius ſuſpendere, quam ita ad eorum condemnationem properare, debuiſſet. Ridiculè autem S. P. probaturus Canonicos his quondam Idolothytis, uti frui ex *conſcientia Idoli*, profert quod univerſum Provinciæ Regimen ſtatuat ac ſentiat iſta bona *Idolo conſecrata fuiſſe, & ideo transferri debere ad uſum analogum*; **den Afgod toegewijt te zijn/ en daarom tot een** *Analogie* **goet gebruyck moet overgebracht worden**: Nam primò ſentire quidem univerſum Provinciæ Regimen hæc *Idolo conſecrata* fuiſſe, & largior ultrò, & gratulor Sycophantæ quod hîc mecum ſentiat, & ſuum ſuorumque deſerat Principium, ex quo iſta bona Deo ipſi Deique cultui dicata falſò ſtatuuntur; Sed nego ideo ſentire univerſum Regimen Provinciæ hæc bona ad pios uſus eſſe neceſſariò convertenda. Si enim quicquid Idolo ſacrum quondam fuit debetur neceſſariò Eccleſiæ & ſacris uſibus, debuiſſet ergo olim Eccleſia ad ſe rapuiſſe, omnia ea bona quæ Idolis Gentilium fuerant conſecrata; ác ſicut nefas fuiſſet Chriſtianis Imperatoribus ea fiſco addicere, ita hodie non liceret ulli Reformato quicquam poſſidere, quocumque titulo, ex bonis olim Papatui addictis & diſtractis authoritate publicâ. Secundò ἄλογον & ἀθεολόγον omninò eſt, analogum facere legitimum Dei cultum cultui Idolorum, contra expreſſum teſtimonium Pauli 2. Cor: v1,15. 16. negantis ul-

lam eſſe concordiam Chriſto cum Belial, aut conſenſionem templo Dei cum ſimulachris. Tertiò nec quicquam id facit ad probandum Canonicis ineſſe *conſcientiam Idoli*, quod iſte homo tam proterviter & temerè aſſerebat.

Tertium quod obſervo in Scripturis huic cauſæ applicandum, extat Rom: XIV, 1. 2. & ſeqq. Agit Paulus eò loci de fortioribus & infirmioribus, quorum illi poterant indifferenter uti omni cibo, & nullum putabant diſcrimen eſſe obſervandum vel ciborum vel dierum; alii verò attendendo ad priſcas Legis conſtitutiones, quibus ſe adhuc teneri putabant, malebant oleribus veſci quam cibis quos noverant Lege interdictos, & dies præſcriptos Lege ad cultum publicum ſollicitè obſervabant. Vult autem Apoſtolus ut ſe mutuò tolerent, nec ſe invicem condemnent, aut ſibi reſpectivè ſint offendiculo. Jam verò eadem eſt ratio eorum qui Ultrajecti putant ſe poſſe bonâ conſcientiâ uti illis bonis, cùm talis prædiorum poſſeſſio ſit res adiaphoris annumeranda; & aliorum qui arbitrantur talem poſſeſſionem eſſe illicitam, quod adhuc ipſis hæreat quædam reverentia legum quæ olim circa talia bona vigebant ſub Papatu; aut etiam reflectant ad Legem Cæremonialem de oblationibus & decimis, quam hîc, licet minus ſolidè, applicatum eunt. Si quis ex conſcientiæ teneritudine putet ſibi eſſe nefas Canonicatum poſſidere, nec patitur ſuos ſcrupulos ſibi eximi, debet eo abſtinere: *Quiſque* enim, ut ibidem habet Apoſtolus com: 5. *in animo ſuo certus eſſe debet*; & com: 23. *Qui dubitat, ſi ederit condemnatus eſt, quia non edit ex fide; quicquid verò ex fide non eſt peccatum eſt.* Sed interea non debet ſuos ſcrupulos aliis in canonem proponere, aut eos condemnare quod ſecùs faciant, ex plena perſuaſione quâ ducuntur nihil in eo eſſe peccati: *Tu ſi hîc ſies aliter ſentias.* Et dum hîc ore improbo S. P. aſſerit præcipuos è Canonicis eſſe abſque fide, nec ipſoſmet credere quod aliis velint perſuaſum, tam loquitur ſe digna, quã indigna hæc ſunt viro bono & honeſto, & qui ſe V. D. M. profitetur.

Negatur quidem Canonicis ſuos Canonicatus rebus adiaphoris eſſe annumerandos: Sed etiam infirmiores illi apud Paulum nolebant admittere ἀδιαφορίαν ciborum & dierum, quam alii ex principiis Chriſtianæ Libertatis agnoſcebant & tuebantur. Tale igitur hîc eſto

noſtrum

noſtrum argumentum; Rei adiaphoræ uſus eſt licitus iis qui de illius natura ſunt in ſua conſcientia plenè perſuaſi, etſi dentur nonnulli qui ejus ἀδιαφορίαν nondum habent perſpectam; Atqui tales ſunt Canonicatus Ultrajectini reſpectu piorum Reformatorum, qui ex notitia & perſuaſione ſuæ Libertatis in Chriſto illos poſſident; licet dentur forte nonnulli, qui ſuis præjudiciis ducti, ſecùs ſentiunt, & nefas ducunt eos poſſidere; quos *fortioribus* dum annumerat S. P. eoipſo prodit ſe non intelligere, quid inter fortiores & infirmiores Paulinos ſit diſcriminis.

Quod ſi dicas, ſaltem ex regula Pauli fortiores illos teneri abſtinere illo uſu rei quam putant adiaphoram, ad declinandam offenſionem eorum qui eam alio habent loco, in promptu erit reſponſio, videlicet neminem teneri abſtinere exercitio ſuæ Libertatis, ſi probabiliter ſuſpicetur, contra ſentientium ignorantiam eſſe vel pertinacem vel affectatam: Talibus enim, ne *ad momentum quidem cedendum* eſſe docet Apoſtolus Gal: 11, 5. & qui propter infirmos è Judæis Timotheum circumciderat, propter contumaces ex iiſdem Titum circumcidere noluit.

CAPUT QUARTUM.

Argumentum tertium illud que varium, petitum à jure, authoritate & approbatione Supremi Magiſtratus.

HActenus quidem ex Scripturis: Sed quo magis conſtet triplex illud argumentum quod ex earum viſceribus deduxi, huic Quæſtioni optimè convenire, ac ſimul confirmetur Canonicos Ultrajectinos eſſe in utroque foro poſſeſſores bonæ fidei, jus eorum penitiùs nunc adſtruam, argumento deſumpto à jure, authoritate & approbatione Supremi Magiſtratus. Hoc verò argumentum in hac materia patet latiſſimè, adeoque non uno modo poteſt uſurpari.

Primò verum eſt Canonicos in ſua poſſeſſione cujuſmodi nunc eſt, niti approbatione publicâ & ſolemni Supremi in ea Provincia Magi-

ſtratus, cujus & ipſi primum membrum conſtituunt. Approbationem dico; ne quis hîc ſomniet meram tolerantiam, conniventiam & diſſimulationem, quò video nonnullos velle confugere: Nam tria Provinciæ membra, ut Supremum Magiſtratũ conſtituunt, conſentiunt in ſtatum Canonicorum qualis nunc eſt, non per actus diſtinctos, quorum alter ſit formaliter approbatorius, alter ſimpliciter toleratorius, ſed per unum, ſimplicem, homogeneum & eundem actum; qui cùm ſit expreſsè approbatorius ex parte primi & ſecundi membri, de quo nemo dubitat, merè toleratorius fingi nequit ex parte tertij, quin illi affingantur æquivocationes & retentiones mentales, neutiquam convenientes viris bonis in Societate humana; ea præſertim quæ arctiſſima ſupponitur & debet eſſe inter pios & honeſtos Rectores ejuſdem Reip. Reformatæ, qui unum ſunt per aggregationem.

Hæc approbatio patet multifariàm: Nam Capitula quinque, uti nunc ſunt, primarium illius Reip membrum ita eminenter & in actu primo conſtituunt, ut Domini Electi ex Canonicorum & Capitulorum ordine & numero, formaliter & in actu ſecundo primas obtineant in Provinciæ Regimine, aliis duobus membris non tolerantibus tantum & ægrè ferentibus quod auferre non poſſunt, ſed ultrò ac plenè conſentientibus; Planè quomodo Canonici & Capitulares in aliorum duorum membrorum authoritatem & Reip. adminiſtrationem ſecum liberrimè conſentiunt.

Deinde ipſe Urbis Ultrajectinæ Ampliſſ. Magiſtratus, ſub ſuo ſigillo, quod eſt fidei publicæ ſolemne munimentum, non tantum promiſit ſe D. D. Electorum perſonas, ſtatum, bona, ideſt revera quinque Capitula qualia nunc ſunt, pro virili conſervaturum, ſed conceptis verbis de novo *approbavit* (ſub illa voce **Approberende allen den poincten ende articulen**/) quæcunque ſpectant ad jura Canonicorum, ex decretis factis 4. Aprilis 1582. & 8. Iunii 1610. Sed præſertim unanimi conſenſu Ordines ſimul decreverunt, nec ſemel, ut viſum ſupra *cap.* 1. neminem in poſterum ad ullum Canonicatum aliud-ve Beneficium in ſua Provincia admiſſum iri, qui Eccleſiæ Orthodoxæ & Reformatæ, publicâ purioris Religionis profeſſione, nomen non dederit; quod pronunciant apprimè facturum promovendæ Dei Gloriæ, Religioni Reformatæ, & vitæ piæ & honeſtæ in

Rep.

Rep. eique muniendæ quoad conſcientiam, corpora & bona contra omnem externam tyrannidem.

Non neſcio equidem, ea poſſe conſequi Supremi Magiſtratus approbationem, quæ tamen in foro poli, nec juſta nec licita, ſed juri Divino & omni æquitati contraria fuerint, ſi videlicet Magiſtratus ille fuerit Idololatra, impius, infidelis: Sed ubi Supremus Magiſtratus, pius, fidelis, Reformatus, cujuſmodi ſunt Ill. & P. P. Ordines Ultrajeƈtini, aliquid poſt maturam deliberationem conſtituit & approbat, ceu faciens ad Dei gloriam propagandam, ad Orthodoxam Religionem firmandam, ad Pietatem & Sanƈtitatem in Rep. promovendam, ad præcavendam omnem injuſtam dominationem in conſcientias, corpora & fortunas ſubditorum, hominum foret minus honeſtè ſentientium de ſuo Magiſtratu, tale decretum perſtringere atque θεομαχίας accuſare, ac ſi ſub prætextu promovendæ Religionis Orthodoxæ & Dei Gloriæ, jus ipſum Divinum, Pietatem ac Religionem conculcaret & everteret.

An cenſebuntur Ill. ac P. P. illi Ordines, inter quos ſemper fuêre Viri Pietate, Sapientiâ, Eruditione inſignes, non ſubreptitiè aut præcipitanter, ut quandoque fit, ſed unanimiter, & iteratò, & poſt maturam deliberationem, id ſanxiſſe ad promovendam Dei Gloriam, Orthodoxam Religionem, Pietatem & Sanƈtitatem in Rep. quod illis direƈtè adverſetur? An faceret ad Religionem Reformatam honeſtè & legitimè promovendam in Rep. id ſolis Reformatis committi, quod cum conſcientia, officio, pietate, ſalute hominis Reformati conſiſtere non poteſt? An Magiſtratus Reformatus eouſque inſidiaretur (quod planè Diabolicum foret) fratrum ſuorum ſaluti, ut non aliis quam ipſis ea vellet committi, quæ cum eorum officio, pietate, ſalute, convenire nequeunt? Quantum ad me, ſi ſuper illo capite Ill. & P. P. Ordines Ultrajeƈtini, cùm de eo deliberabant, me conſuluiſſent, non aliud potuiſſem ſuadere quam quod fecerunt; quia planè ſtatuo talium Canonicatuum poſſeſſionem boni Reformati conſcientiæ & officio non repugnare. At ſi in conſilium advocaſſent alios ſubtiliores Conſcientiarum Direƈtores & Magiſtros, uti ſe vocant, contrarium ſtatuiſſent, videlicet apprimè facturum promovendæ Gloriæ Dei, Religioni Reformatæ, Pietati & Sanƈtitati, ſi nulli

ſi nulli Reformatam Religionem profitenti hæc beneficia conferantur, ut pote quæ nullus Reformatus ſalvâ conſcientiâ & ſalute poſſidere poſſit; adeoque potiùs advocandos ad iſta Turcas vel Iudæos, per quos quinque Capitula, juxta pacta conventa & leges Reip. fundamentales, perpetuarentur & conſervarentur.

Plurimùm autem facit comprobandæ illi Supremi Magiſtratus approbationi, ex qua licitam facio Reformatis ſuorum Canonicatuum poſſeſſionem, non tantum quod Ordines decreverunt eos non debere aliis conferri quam Reformatis, ſed inſuper quod ipſi-met illos de facto conferunt, nemoque niſi cum Supremi Magiſtratus *Placito* ad illos poſſidendos admittatur. Atquè ſic non tantum Canonici in communi nituntur in ſua poſſeſſione, approbatione Supremi Magiſtratus, qui ſoli Deo tenetur reddere rationem ſuæ adminiſtrationis, ſed etiam ſinguli in particulari. Ut hinc emergat hæc apodixis: Ejus poſſeſſio juſta eſt omnimodè, qui poſſidet ex authoritate & approbatione ſolemni Magiſtratus Pij & Reformati, declarantis inſuper id ſpectare ad Dei Gloriam, Religionem Reformatam, vitæ honeſtatem & Pietatem magis magiſque promovendam; & eum in finem non niſi viris honeſtæ famæ & boni nominis ac Reformatam Religionem publicè profitentibus, talem poſſeſſionem conferentis: Nam, ut Jura loquuntur, *Juſtè poſſidet qui auctore Prætore poſſidet, l. 11. ff. de acq. vel amitt. poſſ.* Item, *Qui auctore judice comparavit, bonæ fidei poſſeſſor eſt, l. 137. ff. de R. I.* Jam verò talis eſt poſſeſſio Canonicorum Ultrajectinorum: Ergo omnimodè juſta & legitima eſt.

Quando publicâ authoritate in Hollandia & Zeelandia omnia ferè bona Pſeudo-Eccleſiaſtica vendita ſunt, potuerunt emi & conſequenter poſſideri bonâ conſcientiâ à privatis; (ut etiam Ultrajecti non deſunt Viri celebres, & quod magis eſt Anticanonici, quorum ædes ab ipſis-met emptæ, ſunt iſtius indolis;) quia illa venditio procedebat authoritate Magiſtratus. Nec putem quemquam hodie repertum iri qui ſtatuat, vel teneri Magiſtratum illa bona reluere, ut inferantur in ærarium Eccleſiaſticum, vel eorum emptores & poſſeſſores in Conſcientia obligari ad ea reſtituenda, nequidem accepto pretio quod olim perſoluerunt; prout video Authores *Conſil. Theol. pag. 21.* ex Euſebio *Hiſt. Eccl. lib. 10. cap. 5.* ſubindicare Edictum Conſtan-

Conſtantini & Licinij in gratiam Chriſtianorum, quo ſanciunt ut loca eorum conventibus antea deſtinata, ſi quæ vel à Quæſtore Cæſareo vel ab ab alio quopiam empta fuerint, ipſis met Chriſtianis abſque pecunia aut repetitione pretii illicò & citra moram reſtituantur; de cujus Edicti æquitate viderint alii. Saltem nec æquari debent bonis Eccleſiæ Chriſtianæ, illi tempore perſecutionis ereptis à Gentilibus, Idolothyta Pontificia, de quibus agimus; & ſi per præpoſteram extenſionem hujus Edicti ad talia, hodie ex improviſo ageretur Ultrajecti, in graves querelas erumperent illi ipſi qui talia urgent adverſus Canonicos: imo ipſe Celeberrimus D. Voetius (quidni dicam quod eſt in propatulo, & citra ullam in eum injuriam?) deberet cedere illis ſuis ædibus quas hodie incolit, olim ex bonis Pſeudo-Eccleſiaſticis iſthîc à ſe emptis, & quarum aliàs, ſic judico, dominus eſt directus optimo titulo & poſſeſſor bonæ fidei, non ſecus ac D. D. Canonici ſunt poſſeſſores bonæ fidei ſuorum redituum, ejuſdem indolis & naturæ. Quod ſi bonorum Eccleſiaſticorum, uti dicuntur, tum in aliis Fœderati Belgii Provinciis, tum Ultrajecti, publicè diſtractorũ, emptio & conſequenter poſſeſſio licita fuit eſtque privatis, eo quod proceſſerit ex authoritate Supremi Magiſtratus, quid illiciti magis erit in illa poſſeſſione hodierna Canonicatuum Ultrajectinorũ, quæ ſimiliter procedit Supremi Magiſtratus authoritate & decreto?

Si dicas Proceres Hollandiæ & Zeelandiæ habuiſſe juſtas cauſas illa bona Pſeudo-Eccleſiaſtica diſtrahendi, neque eò proceſſiſſe abſque conſenſu Eccleſiæ Reformatæ, ut in poſteriori aſſeres quod falſum eſt & nuuquam probabitur; cùm illarum Provinciarum Ordines id non egerint precariò, ſed autocratoricè & ex jure Majeſtatis; (de quo aliàs fuſiùs diſputavi *Theol. Parad. in Faſc.* §. 35. 36. 37. 38. 39. *& Strict. parte alt. pag.* 282. *& ſeqq.*) ita prius æquè de Ultrajectinis Ordinibus in eo quod agunt poteſt ſtatui, etſi forte ſuorum conſiliorum cauſas & rationes nolint ſubjicere aliorum cenſuræ. Quid quod ad conſcientiam tranquillandam, etiam coram Deo, in bonorum externorum emptione & poſſeſſione, ſufficit bonorum illorum venditionem & diſtractionem fieri ex authoritate legitimi Magiſtratus, quæcunque illi cauſa fuerit ad eam procedendi? Si nunc in Gallia Rex Chriſtianiſſimus, offenſus quorundam Prælatorum ſuæ

commu-

communionis criminibus, manum in eorum temporale injiceret, illudque vendi publicè curaret, aut ſi vellet agere cum Jeſuitis, ut olim actum cum Templariis, iiſque toto Regno pulſis & exterminatis, eorum bona & immenſas opes publicari mandaret, nullus ſanè Reformatorum toto illo regno putaret gravatum iri ſuam conſcientiam, ſi aliquid ex illo temporali illis-ve bonis emeret, ac ſuo patrimonio adjiceret. Cur ergo Reformatis Ultrajecti nefas erit ea comparare & poſſidere ex bonis quondam Eccleſiaſticis, quæ ex authoritate Supremi Magiſtratus, ejuſque Reformati, comparantur, obtinentur & poſſidentur?

Negare autem quicquam juris competere Magiſtratui Supremo in Pſeudo-eccleſiaſtica bona, ut de illis poſſit diſponere prout è Reipublicæ bono eſſe cenſuerit, dogma eſt tam parum conveniens Theologis Reformatis, maximè in hoc Belgio, in quo contrarium publicè de facto obtinet, ut me putarem id ſtatuendo reum læſæ Majeſtatis, & conſpirationis cum Innocentio X. P. R. qui ex hoc falſo principio Bullam ſuam emiſit 3. Jan. 1651. contra nuperam pacem Imperij, quod Cæſaris & Principum authoritate Pacis illius *pactionibus bona Eccleſiaſtica aliaque ab hæreticis occupata, illis eorumque ſucceſſoribus in perpetuum addicantur.* Quod ſi Principes Proteſtantes & Reformati, qui illa bona ſæcularizari & Dominiis ac reditibus ſuis adjici ſtipulati ſunt, edocti fuiſſent noſtratium Anti-canonicorum ſcrupuloſam Theologiam, ſibi caviſſent ab Anathemate Achanis, nec horrendi illius Sacrilegii, ſi Deo placet, reatum contraxiſſent. Nolim ſanè reperiri inter noſtros, qui impugnent & rejiciant cum Jeſuitis, quos inter agmen ducebat, tempore tractatuum Monaſterienſium, quidam perſonatus Erneſtus de Euſebiis, illam alienabilitatem & ſæcularizibilitatem bonorum Eccleſiaſticorum per Supremas Poteſtates, (ſaltem abſque Papæ conſenſu, quo accedente eam concedebant) quam è contrario multi Theologi Communionis Romanæ eodem tempore propugnabant, nominatim Caramuel Lobkwits, magni nominis inter ſuos, qui ſuper eo conſultus ab Electore Moguntino emiſit tractatum ſatis grandem qui inſcribitur *S. R. Imperii pax licita demonſtrata*, quo etiam Erneſtum de Euſebiis κατὰ πόδα refutat.

Sed quia eò rediit noſtra Prophetandi libertas in hoc Fœderato Belgio,

Belgio,ut etiam auſimus contendere cum Supremo Magiſtratu de illius poteſtate, & tentemus jus & authoritatem ejus pro noſtro lubitu circumſcribere, eumque in iis quæ facit circa bona Pſeudo-Eccleſiaſtica ad noſtros calculos revocare, etiam apud caculos & lixas ac infimam plebem; ut dum populus licentiùs ad ſuam Cenſuram trahit jus & facta Superiorum ſuorum, faciliùs dediſcat Subjectionem & Obedientiam; Videamus num adhuc fortiùs hic nodus pro Canonicis adſtringi poſſit; Id verò facio hoc argumento; Quod eſt de intrinſeca eſſentia legitimi Magiſtratus in Republica plenè Reformata, id Reformatis licitum in conſcientia ſtatui debet: Atqui quoſdam eſſe Canonicos, quales ſunt Ultrajectini, eſt de intrinſeca eſſentia legitimi Magiſtratus in Republica Reformata Provinciæ Ultrajectinæ; Ergo Reformatis licitum eſt eſſe Canonicis quales ſunt Ultrajectini. Majorem hujus argumenti nemo negaverit, qui Mennoniſta & Anabaptiſta non fuerit, ideſt, qui non putaverit illìcitum eſſe homini fideli & verè Chriſtiano Magiſtratum exercere, non quidem ex Scripturæ authoritate, ſed fortè ex dicto Pythagoræ, *A fabis abſtineto*; Expreſsè autem in majori mentionem facio Reipublicæ plenè Reformatæ, id eſt talis in qua nemo ad Reip. regimen admittitur, qui Orthodoxam & Reformatam Religionem non profiteatur publicè: ne quis hîc excurrat ad Collegium Electorum in Imperio, Abbatem Sangallenſem vel Fuldenſem, Cameras bipertitas, & eas Reſpublicas in quarum regimine Heterodoxi cum Orthodoxis ex pacto & lege miſceri debent.

Minorem verò quod attinet, ea remanet extra controverſiam: Hæc eſt enim Reip. in Provincia Ultrajectina conſtitutio ab initio recuperatæ libertatis, ut per tria diſtincta membra regi & adminiſtrari debeat: Primum membrum conſtituunt Electi, ſic dicti quod eligantur ex quinque Capitulis, & eorum nomine ad Remp. adminiſtrandam veniant. Non poſſunt autem eligi ex Capitulis, qui Capitulares adeoque Beneficiati & Canonici non fuerint. Cùm itaque & iſti Electi & omnes Eligibiles debeant eſſe ſimul & Canonici & Reformati, aut debet ſtatui quod liceat iiſdem eſſe ſimul Canonicis & Reformatis, aut quod in Rep. illius Provinciæ, ut-ut Reformata, præter jus & fas ponantur in primo membro duæ conditiones planè

incompatibiles, & ſic fundamentum putre ſubſternatur Regimini; cui per conſequens nulla ſperanda Benedictio cœlitùs ſi infami Sacrilegio inædificatur.

Ita autem ſtringit hoc argumentum, ut nihil ei queat opponi præter ſpem novæ Reformationis in Rep. juxta quam poſſit ratio reperiri, quâ, everſis licet Capitulis, Regimen ita ſtabiliatur, ut multum accedat Ærario Provinciæ, Nobiles aliæque honorabiles familiæ juxta ſua merita promoveantur, Eccleſia & Religio illo ſcandalo liberetur, & os occludatur Pontificiis; *Par. 2. Theol. Conſilii, p. 275.* Sed eas ſpes vel fovere vel excitare in Republica benè conſtituta, quæ ad Regiminis à tot annis recepti & legum in illa fundamentalium everſionem ſpectent, non putem eſſe boni vel Civis vel Theologi: Saltem talia proponi vel dici in ſua Rep. Locrenſes olim paſſi non fuiſſent, niſi ab eo qui jam reſtim ſuo collo innexuiſſet & ſe paraſſet ad ſuſpendium, ſi Reip. ſua conſilia diſplicerent. Adhæc cùm Doctiſſimi illi Conſultores paſſim pertendant eam eſſe naturam bonorum Capitularium, ut non aliis uſibus quam ſacris inſerviant, non poſſent everſis Capitulis in Reip. Ærarium inferri, ac familiarum honorabilium ac nobilium commodis deſtinari, **om het Landt te beneficieren / verſcheyden Adelijcke ende andere Eerlijcke familien nae haer qualiteyten en meriten te vorderen /** quin mutato nomine eadem fabula ageretur, & Sacrum Chriſti Patrimonium deſtinaretur uſibus civilibus & profanis, per idem Sacrilegium notorium cujus accuſantur Canonici, quorum multi ſunt Nobiles, & omnium natalia honeſta eſſe debent.

Interea ſupponamus rem jam eò deductam eſſe, ut de Electis abrogandis, & penitus ſupprimendis Capitulis ex quibus eliguntur, deliberetur in Republica, id omninò deberet fieri vel ipſis invitis & reclamantibus, vel cum eorum approbatione & conſenſu. Prius fieri non poſſet citra evidentem perfidiam, quam nullus Theologus vel ſuaderet vel probaret: Nam duo alia membra, ſe huic ordini ſolemniter obſtrinxerunt ad illius conſervationem: Abſit autem à nobis ut propter incertos & dubios ſcrupulos, certum & evidens ſcelus ſuadeamus aut probemus; quò illud de noſtris conſilijs queat uſurpari, *Tantum Religio potuit ſuadere malorum*: Qui urgent caput VII. Joſuæ de Achane contra Canonicos, legant ejuſdem libri caput X. de fide publica

blica data Gabaonitis, quam violaſſe poſtea nec Sauli Regi nec toti populo impune fuit. Nunquam eò procedat noſtra Theologia, ut doceamus quâ ratione Rectores Rerumpublicarum poſſint eſſe perfidi & periuri bonâ conſcientiâ; & dum improbamus horribile dogma Pontificiorum de fide hæreticis non ſervanda, illud etiam ad noſtros ſocios, concives, ejuſdem Religionis nobiſcum profeſſores, extendamus; ac nævulum, ſi modò nævus ſit, in Reip. vultu ſanaturi, tam infame & pudendum vulnus ei infligamus. Poſterius non poſſet procedere, quin omnes illi indemnes præſtarentur, & cuique Canonicorum & cœterorum Capitularium, tantum concederetur aliunde, quantum nunc emolumenti ex ſuo Beneficio conſequitur; Tunc verò deberet Ærarium exhauriri ad redimenda bona Eccleſiæ, quæ iterum proculdubio ad eas explendas lacunas fiſco & Ærario eſſent addicenda, id eſt, revera æquè ac magis ſecularia facienda ac nunc ſunt; ut non tam ex ſua capitivitate liberata, quam in alium æquè durum carcerem traducta viderentur.

Sed & ſupponamus jam eo deventum eſſe ut Electi ſupprimantur & Capitula abrogentur, quæro cujuſnam tunc fierent illorum bona? Cederent utique vel Eccleſiæ, cujus dicuntur eſſe, vel Reip. vel privatis. Si Reip. vel privatis, continuaret eorum profanatio, & eodem Sacrilegio quod nunc Canonicis imputatur, Reſp. aut implicaretur, aut implicaret privatos, quibus ea utenda fruenda concederet; Si ad Eccleſiam poſtliminiò redirent, multæ iterum forent difficultates: Nam poſſet quæri per quos forent adminiſtranda? num Diaconis Eccleſiæ, ceu cuſtodibus Ærarij ſacri, hæc cura incumberet? quibus & ex cujus arbitrio deberent diſtribui? an ſub titulis hodiernis, an ſub novis? an etiam ideo conveniret Eccleſiæ Miniſtris ὑπεροχὴ Politica Capitulorum, ut primum Reip. membrum conſtituerent? an præter Paſtores, Profeſſores, Ludimagiſtros, Studioſos; Seniores quoque & Diaconi pro ſuo labore, quo hactenus gratis defunguntur propter inopiam Eccleſiæ, nihil ex illis eſſent percepturi? Et tum experientia ipſa doceret immenſas illas opes fore Eccleſiæ toxicum præſentiſſimum & verè aurum Tholoſanum, quod ei abiret in perniciem & ruinam certiſſimam, & quas deberet ſtatim abdicare & perdere, ne per illas periret ac perderetur.

Igitur ſtatus præſens Reip. Ultrajectinæ perſpicuè evincit non minus neceſſariam quam juſtiſſimam eſſe poſſeſſionem Canonicorum, ita ut non poſſit impeti vel pulſari, quin optetur periculoſa Reipub. mutatio, lædatur Majeſtas Superiorum, & illi quibus Deus dedit authoritatem Imperij accuſentur Sacrilegij & aliorum Criminum per eos quibus ſola obſequii gloria relicta eſt, & quos deceret non dememiniſſe ejus quod tam expreſsè legitur Exod. XX II, 18. Act: XXIII, 5. *Principi populi tui non maledices.* Nec poteſt huc rapi quod incumbat Eccleſiæ Miniſtris reprehendere Principum & Magiſtratuum uitia: Nam hæ criminationes non ſpectant culpas perſonales eorum qui ſunt in Magiſtratu, quas reprehendi & poſſe & debere ab Eccleſiæ Paſtoribus certum eſt; ſed ipſorummet Statum & quia Magiſtratum ſuſtinent; quem ita pulſari ego planè nefas arbitror.

Non poteſt etiam ſubtiliter hîc diſtingui inter dignitatem Electi quam colas in Supremo Magiſtratu, & adjunctum Canonici Reformati, quod improbes & damnes in illo; ut poterant veteres Chriſtiani ſuſpicere axioma Imperatoris in Conſtantino magno, & Pontificatum Maximum ei additum improbare; Nam Pontificatus erat ex rei natura adjunctum ſeparabile ab Imperio, neque per & propter Pontificatum Conſtantinus erat Imperator; Sed Canonicum eſſe eſt de eſſentia cujuſlibet Electi, quà videlicet eligibilis fuit & electus eſt, eo quod non ſit eligibilis & electus niſi per & propter Canonicatum; ut qui Electum nolit eſſe Canonicum, eoipſo eum Electum eſſe non velit. Etiam in Principe Colonienſi poteſt diſtingui axioma Politicum à Pſeudo-ſacro, licet ex inveterata conſuetudine, illud cum hoc ſoleat combinari. Illa duo ille ipſe Præſul Colonienſis diſtingui volebat, qui apud Fulgoſium, citatum Duareno *lib.* 1. *de Sac. Eccl. Miniſt. ac Benef. cap.* 4. bubulco miranti tantum ipſius apparatum minimè Apoſtolicum, reſpondebat *perſonam ſe duplicem ſuſtinere, Ducis ſcilicet & Epiſcopi; & tum Ducis munere fungi cum armatus ſatellitioque ſtipatus incedit, in ſacra autem æde Epiſcopum ac Sacerdotem agere:* Et ſuperius ſæculum vidit duos Colonienſes Electores, qni munere pſeudo-ſacro remoto & ſuſceptâ verâ Religione, Principalem & ſæcularem dignitatem ſibi retinere voluerunt. Sed nullus mihi dabitur Spagiricus aut Metaphyſicus tam ſubtilis, qui poſſit ita abſtrahere, ſeparare & diſtin-

& diſtinguere Canonicatum ab Electo, ut in eadem perſona Electum veneretur & execretur Canonicum, cùm negato aut ſublato Canonicatu nec eligibilis fuerit, nec electus dici aut remanere poſſit.

Verùm progredior adhuc ulteriùs, & non contentus demonſtraſſe eo juſtiorem, eſſe quocunque modo ſpectetur, Canonicorum Ultrajectinorum poſſeſſionem, quod nequeat impugnari niſi cum evidenti læſione fidei, tranquillitatis, authoritatis & majeſtatis publicæ ac legitimæ in illa Provincia, ſitque revera illud primum in Rep. membrum quod imago Phidiæ erat in clypeo ſuæ Minervæ, unde revelli nequibat quin totum opus corrueret; oſtendam inſuper, & legitimè ſummaque cum utilitate Reip. proceſſum fuiſſe in ſæcularizatione & Reformatione iſtius ordinis, & non poſſe per novos ſcrupulos heri ac nudiuſtertiùs natos, jure impeti rem iſtam, juſto & legitimo ordine inſtitutam, prudentiâ, conſilijs, & authoritate Virorum Sanctorum & Magnorum, qui plus opum & ſanguinis effuderunt pro Eccleſia & Rep. quam ſunt unquam effuſuræ atramanti ſepiæ illæ quæ in hoc inſtituto denigrando totæ ſunt.

Certum id eſſe nemo ambigit, quod cum fundationibus & dotationibus Capitulorum Ultrajectinorum factis Regum & Imperatorum liberalitate, conjuncta fuerit Authoritas Civilis & Politica, ex qua Capitulares primum Comitiorum & Regiminis membrum in ea Provincia antiquitùs conſtituerunt; Habueruntque ſuas rationes Pipinus, Carolus Martellus, Carolus magnus, Ludovicus Pius &c. cur ad populos faciliùs in officio continendos & leniori in ſpeciem frœno regendos, non quidem malo animo, ſed periculoſo & noxio eventu ac exemplo contagioſo, Epiſcopis eorumque Capitulis Reip. adminiſtrationem in ſuis Diœceſibus conceſſerint: quamvis duo illi gladij, Sæcularis & Eccleſiaſticæ poteſtatis, minus legitimè & commodè in unam vaginam recondantur: Cùm autem quælibet Provincia tempore Albanæ ſævitiæ ſuæ proſpiceret ſecuritati, & poſt Gandavenſe fœdus jam laxatum ac violatum multifariàm, procederetur ad Unionem Ultrajectinam, ei acceſſerunt inter primos Canonici Ultrajectini, ut viſum *cap.* 1. idque ut retulimus *ibid. & cap.* 2. verbis & declaratione Celeberrimi D. Voetij, *tanquam Domini ſupremi pro ſua parte & tanquam pars magna imò potior ac prima*

Regiminis ac conſeſſus Ill. Ordd. illius *Provinciæ*, ut pote *qui magnam partem prædiorum & dominiorum in hac Provincia poſſident*; & *antiquitùs* ſuſtinent illam *poteſtatem per leges* illius *Reip. ratione Prædiorum & Dominiorum Suorum.* Tunc autem ita *Status ſui cum reditibus perpetuationem & ſtipulati ſunt pariter ut pars contrahens, & autocratoricè approbarunt ſimul pro parte ſua, ut primum membrum Ordinum,* ut hanc *Status ſui cum reditibus perpetuationem,* non ſtipulati fuerint ac decreverint niſi reſpectu bonorum ac redituum ſuorum temporalium & Poteſtatis illius Politicæ in Rep. iis innexæ, non verò reſpectu cultus Superſtitioſi & Idololatrici ad quem quà Canonici, ſenſu Pontificio & Eccleſiaſtico, tenebantur. Siquidem ejuſdem Unionis Ultrajectinæ *art.* 15. libertatem ſibi fecerunt & ſuorum Collegiorum membris omnibus Religionem Reformatam amplectendi, & ſibi nihilominus retinendi ſua Beneficia. Quâ ratione ſic abjecerunt & abdicarunt quicquid erat Spiritualitatis & formaliter Eccleſiaſticum in ſuis illis Collegiis, nihil ſibi retinendo in Rep. præter eorum Temporale & Politicum, (cui eodem anno acceſſit quod Papæ ipſi jus omne collationis cum reliquis duobus membris abſtulerunt) ut jam 4. Aprilis 1582. per Conſilium Status decretum fuerit eos in poſterum *Capitulariter* non conventuros, niſi ſolum propter adminiſtrationem & directionem ſuorum beneficiorum cum annexis, **alleenlijck op d' adminiſtratie ende beleyt van haere beneficiale goederen / met dependentien van dien /** & Electos ex illis habitum ac conſideratum iri, non ut Eccleſiaſticos in ſuo formali, ſed ut Sæculares & Laicos; **niet als Geeſtelijck / maer als Wereltlijcke perſoonen.** Ut revera ſub priſcis nominibus Capitula hæc ſint Collegia merè Politica, quæ per Legem Reip. fundamentalem, abdicatâ Papiſticâ Spiritualitate, nihil ſibi reſervarunt præter Politicam & Sæcularem Poteſtatem, cum ſuis dominiis & reditibus illis, quorum ratione hæc Poteſtas Politica illis antiquitùs conveniebat. Idque eo magis eſt ſtatuendum, quod per leges ejuſdem Provinciæ publicas & fundamentales, nemo poteſt ad illa Capitula & Collegia admitti, qui non ſit Religionis Reformatæ; Quo ipſo illa Collegia pro merè ſæcularibus publicè habentur; Nam non tantum ſoli Reformati ad illa admittuntur, quos certum eſt omnem Pontificiam Spiritualitatem deteſtari, ſed inſuper non poſſent credo eò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

admitti Eccleſiæ Reformatæ Miniſtri quà tales, eo quod non ſint capaces Regiminis Politici: Ut revera nihil amplius habeant Spiritualitatis aut Eccleſiaſtici, ſive ſenſu Pontificiorum, ſive ſenſu Reformatorum.

Si autem demonſtretur legitimam eſſe ac legitimè proceſſiſſe illam Reformationem eorum Collegiorum in merè Politica, ſolis membris Reformatis conſtantia, qualia facta ſunt Authoritate publicâ & autocratoricâ ipſorummet Capitulorum pro ſua parte, nihil amplius ſcrupuli ſupererit circa cauſam Canonicorum illa Collegia ſubeuntium, cujuſmodi nunc ſunt. Id verò multa evincunt.

Primò negari non poteſt multo utiliorem fuiſſe illi Reip. naſcenti, horum Colllegiorum perpetuationem, qualem ſtipulabantur ab alijs & ipſimet pro ſua parte autocratoricè ſanciebant, quam ſi alia duo membra per vim & impetum illa penitùs deleviſſent & abrogaſſent: Nam ſic juſtiùs proceſſerunt publicæ Libertatis vindiciæ, iis quoque annitentibus quibus id juris *antiquitùs* in Rep. competebat; & multo plus damni, periculi & ſumptuum ſuſtinuiſſet Reſp. ſi per vim iniquam hæc Collegia oppreſſiſſet, & eorum bona in fiſcum redegiſſet, atque uſibus belli applicaſſet, quam percepiſſet utilitatis ex illis bonis ſubhaſtatis & diſſipatis. Ac prout hæc conſervatio & perpetuatio Capitulorum & in ſe juſtior fuit, & in re utilior Reip. quam eorum diſſipatio fuiſſet, adeoque acceptior ipſi Deo, maximè cum Ultrajectini Eccleſiaſtici, non potuerint tractari ceu merè ſubditi, & tanquam contumaces aut perduelles ac noxii Reip. ejici ac ſupprimi, ut factum in Hollandia & Zeelandia; erant enim pro ſua parte Supremi Domini, & Regiminis primum membrum; Ita dubitari nequit, quin perpetuatio illorum Collegiorum reſpectu ſolius Temporalis & Politici, etiam cum excluſione expreſſa Pontificiorum, qui forte captaturi eſſent occaſiones ſuam Spiritualitatem revocandi, & ſanctior longè ſit, & Eccleſiæ Chriſti conducibilior, quam ſi vel Pontificiis adhuc paterent, vel ſuam Spiritualitatem Superſtitioſam retinerent. Cur ergo improbemus Reformatos hæc ſubire Collegia, quæ ita perpetuari, juſtius, ſanctius, utilius, conducibilius fuit Reip. & Eccleſiæ, quam aut violenter diſturbari, aut cum ſua Spiritualitate Pontificia conſervari?

Secun-

Secundò, ne videar tantum loqui comparativè, pertendo non ſolum reſectionem & rejectionem omnis Spiritualitatis Pontificiæ ex iſtis Collegijs, eſſe opus in ſe ſanctiſſimum & Deo gratiſſimum, de quo & Reip. & ipſiſmet Capitulis in eam conſentientibus, ac illam promoventibus & procurantibus, omnes verè pij ex animo debent gratulari; ſed etiam ſuppoſitâ illâ rejectione & reſectione omnis prætenſæ Spiritualitatis Pontificiæ, licitam, honeſtam & juſtam fuiſſe, nec ullâ ratione culpabilem in foro conſcientiæ, eorum Collegiorum conſervationem & perpetuationem quoad ſua Temporalia & eorum reſpectu Politicam in Rep. dignitatem; quia revera his Capitulis ab ævo per & propter hæc bona, illa Politica Poteſtas competebat, quam per conſequens optimo jure retinere potuerunt, tum ut Regimini Politico ſua priſca eſſentialis forma trimembris remaneret, tum ut hæc Collegia eſſent perpetuum Seminarium virorum bonorum, honeſtorum & Reformatorum, quales debent eſſe omnes illa ſubeuntes, qui poſſint primi membri partes in Regimine publico convenienter obire, & eo ſtudioſiùs conſervationi Reip. invigilare, quo magis intereſt & ipſorum Collegiorum & ipſorum Collegiatorum eam florere & ſubſiſtere.

Quod ſi quis credat Canonicos fuiſſe obligatos in conſcientia, abdicando ſuam Spiritualitatem Pontificiam, unà deſerere ſuum Temporale & Politicam Poteſtatem ei annexam, ac Regimini Politico renunciare, is mihi videbitur errare toto cœlo; quaſi nefas ipſis fuerit Spiritualitatem illam deſerendo, Ægypti vaſa & ſpolia ſecum auferre & ſibi retinere, (quod tanquam Supremi Domini autocratoricè potuerunt,) aut debuerint æquè duram ſibi imponere provinciam in ejerando Papiſmo, ac imponitur apud Pontificios Judæis ſe convertentibus ad Chriſtianiſmum, quâ tenentur omnes ſuas opes, ceu malè partas, juxta Canoniſtas, abdicare, & Eccleſiæ, uti dicitur, tranſcribere ac relinquere, priuſquam ad Baptiſmum admittantur; unde fit ut in Italia vix alij ex Judæis convertantur quam oppidò pauci Medici, eorum-ve filij, quibus Papa indulget ſpeciatim ut ſua bona, ceu honeſtæ profeſſionis exercitio acquiſita, ſibi retineant. Quantum autem iſte rigor obſit Judæorum converſioni, refert Eques Sandis *Relat. de Rel. in Occ. cap.* 41.

Quod

Quod ſi ex judicio totius Synodi Nationalis Eccleſiarum Belgii, etiam quo tempore zelus erat feruentior in omni veteri fermento expurgando, licuit in foro Conſcientiæ privatis Canonicis Ultrajectinis retinere ſua nomina & ſuum temporale, eique annexum axioma Politicum in Rep. non video quî magis id fuerit illicitum integris Collegiis & Capitulis, & quomodo ſi duo idem faciant non ſit tamen idem.

Quinetiam in ea ſum hæreſi quod ſi ipſe-met Papa cum Purpuratorum ſuorum Collegio derepentè admitteret Reformationis doctrinam, & abdicatâ omni Spiritualitate, ſanciret neminem in poſterum in illud Collegium admiſſum iri, niſi Orthodoxum & Reformatum, poſſet tunc ſibi & huic Collegio, ac Succeſſoribus ſuis per illud Collegium, ceu Reip. Senatum, eligendis, ſupremam Poteſtatem in Urbem Romam, totas Eccleſiæ, uti dicuntur, ditiones, & quod vulgò Patrimonium Petri appellatur, bonâ conſcientiâ retinere. Nonne vidit ſuperius ſæculum duos Electores Colonienſes, Hermannum Vadenſem, & Gebhardum Trucheſium, qui animum appellendo ad Reformationem, proculdubio retinuiſſent ſibi tantum Temporalitatem & Principatus axioma, relictis idoneis Eccleſiæ Miniſtris omni Spiritualitate, ſi tam juſtis, tam piis, tam ſanctis eorum conſiliis, tyrannis & factio Pontificia non obſtitiſſet?

Quid ergo velimus carpere in Capitulis Ultrajectinis, quod ſi in Electoribus illis ſucceſſiſſet, ſanctum, pium & laudabile fuiſſet? Ut autem illi Principes, Reformatione fœliciter inſtitutâ & Spiritualitate Archiepiſcopatus Pontificii abjectâ, potuiſſent ex Ordinum ſuorum conſenſu, Principale faſtigium cum ei annexis temporalibus reditibus, & ſibi retinere, & ſuis in ea dignitate Succeſſoribus relinquere; ita dubium eſſe nequit, quin Canonici Ultrajectini poſt rejectam Spiritualitatem Pontificiam potuerint illam ὑπεροχὴν Politicam in Repub. & ſua bona ac dominia quibus illa innexa eſt, non ſolum retinere, ſed etiam ſuis ſucceſſoribus in iiſdem Collegiis, ad ſæcularem conditionem redactis & Reformatis, tranſmittere.

Etenim illa eorum bona temporalia duplicem habebant reſpectum, alterum ad Spiritualitatem Pontificiam quam rejecerunt, alterum ad Politicam Poteſtatem quam jure retinuerunt, & per con-

ſequens ſucceſſoribus ſuis cùm iiſdem bonis temporalibus tranſmittere potuerunt. Agnoſcunt enim Anti-Canonicorum celeberrimi, quorum ipſiſſima verba retuli, illam *Poteſtatem* Politicam ipſis *per leges* convenire, *ratione Prædiorum & Dominiorum Suorum.* Ecquæ verò dabitur ratio, cur non potius retentio & poſſeſſio continuata eorum Prædiorum & Dominiorum, potuerit comitari licitam & neceſſariam retentionem Politicæ illius Poteſtatis quæ illis conveniebat eorum RATIONE, quam illorum abdicatio conſequi abdicationem Spiritualitatis Superſtitioſæ, ad quam abdicandam, non item ad abdicandam Politicam ſuam Poteſtatem, ex conſcientia tenebantur?

Fuerint per me hæc bona acceſſorium Spiritualitatis illius vitioſæ ab una parte, ab altera verò Poteſtatis illius Politicæ in ſe legitimæ ac perpetuandæ in Rep. annon omninò æquius eſt & ſanctius illa bona, utpote in ſe temporalia & terrena, ſequi Poteſtatem Politicam eique adhærere, quam Spiritualitatem vitioſam & cum illa intercidere ac perire? Et cùm Spiritualitas illa jure noſtro nequiverit per hæc bona ſecum trahere ac retinere Poteſtatem Politicam, nonne ſatius fuit abdicare Spiritualitatem omnem, ut per iſta bona & in illis Poteſtas Politica ſtabiliretur & retineretur?

Summa huc redit. Si bonâ conſcientiâ potuerunt Capitulares, abjectâ omni ſuperſtitioſâ Spiritualitate ex Piæ Reformationis amore & zelo, retinere, ac ſibi & ſuis ſucceſſoribus eodem modo conſervare, *Poteſtatem* Politicam in Rep. quæ illis conveniebat *per leges ratione Prædiorum & Dominiorum Suorum*, ideſt revera non ratione Miniſterii Sacri, ex mandato Dei, ſed ratione territorij ampliſſimi ex jure humano, ut de Principibus Eccleſiaſticis in Imperio poſt Confeſſionem Auguſtanam notat Reinkinck *de Reg. Sac. & Eccl. lib.* 1. *Claſſ.* 4. *cap.* 9. §. 9. utique horum Prædiorum & Dominiorum poſſeſſio erit licita in foro Conſcientiæ Canonicis Reformatam Religionem profitentibus; Sed verum prius, ut liquet clarè ex iis quæ hactenus diſſeruimus; Ergo & poſterius; Cùm nemo ſanus queat ſuſpicari minus licere iis qui ſubeunt Collegia jam Reformata & omni Spiritualitate vitioſâ repurgata, quam illis qui primò illa reformare ſtuduerunt: Nam ut quod initio vitioſum fuit tractu temporis convaleſcere non poteſt, ita quod initio fuit juſtum, honeſtum & licitum, ſolo

tractu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

tractu temporis, niſi novæ ſuccedant corruptelæ, depravari & inquinari non poteſt.

Toti huic argumento tertio nihil reſpondet S. P. quod ullam refutationem mereatur: Hîc ei defuit ſuum Protocollum: unde verba & voces fundit ſine ſenſu, quæ ἀῤῥωστίαν τῆς διανοίας in ipſo luculenter demonſtrant. Ait me argumentari *à poſſe ad eſſe*, quod nemo præter ipſum videbit. Dicit mera me hîc *facta* narrare, quod etiam falſum. Calumniatur me multa acerba *perſonalia* hîc inſpergere; ſed quæ illa ſint non notat, nec poteſt, quia nulla ſunt. Negat valere argumentum à bonitate finis, ad bonitatem mediorum, verùm nec ita unquam argumentatus fui. Vult ſibi probari Ordines illius Provinciæ judicaſſe Canonicos bona cum conſcientia poſſe ſua poſſidere, & hoc eorum judicium veritati eſſe conforme: At quid cenſeant Ordines illi de Canonicis ſuis, luculenter demonſtravi; Hoc quoque eorum judicium veritati & rationi eſſe conſentaneum, patet ex toto hoc opere. Aſſerit regimen illius Provinciæ, quale nunc eſt, eſſe Deo exoſum & vitioſum, reditque ad ſuum Achanis exemplum; Sed hoc eſt hominis ſeditioſi & turbulenti, non Theologi & Chriſtiani. Dicit facile poſſe diſtingui inter otioſum Canonicum, & aliquem *electum* ex illis qui juxta *morem patriæ* & *in tanto* publicum regimen juvet; ac ſi quis inter S. P. ut Sycophantam publicum, & eundem (nam hoc ſimile debeo ſubſtituere ei quo utitur) ut V. D. M. diſtingueret; Sed hæc in illo diſtinctio non poſſet obtinere, ſi Verbi Dei Miniſtri omnes deberent eligi ex Sycophantarum ordine; ut ex ordine Canonicorum, debent neceſſariò eſſe Electi qui primas tenent Ultrajecti in Reip. Regimine. Vagatur denique ad horum Beneficiorum emptionem & venditionem, quam negat probari Ordinibus illius Provinciæ; Sed infra *cap.* 10. probatur luculenter contrarium, & hæc bona in *libero commercio* eſſe poſita ipſorum Ordinum autoritate: quod utique non facturi fuiſſent, ſi id vitioſum & illicitum ſtatuiſſent.

CAPUT QUINTUM.

Argumentum quartum quod à Iudicio & Approbatione Eccleſiæ deſumitur.

PAullo prolixior fui in deductione argumenti à Magiſtratus authoritate, approbatione, fide, officio &c. petiti, quod illud ſit multiceps, & ferè utramque paginam in hac Quæſtione faciat; Sed pergo ulteriùs, ac prout ex Supremo in Civilibus Tribunali, abſolutoriam Sententiam Canonicorum Ultrajectinorum propoſui, ſic eandem nunc proponam ex Supremo Tribunali in Eccleſiaſticis, quod conſtituere in Belgio Synodum Nationalem in confeſſo eſt. Jam autem Synodus Nationalis Medioburgi celebrata anno 1581. cenſuit & declaravit Canonicos Ultrajectinos, qui Religionem Orthodoxam profitebantur, & tamen ſuos titulos ſuaque beneficia retinebant ſine Superſtitione & Idololatria, ad Sacram Synaxim ceu Chriſti fideles & genuina Eccleſiæ Chriſtianæ membra eſſe admittendos: Ut verò intelligatur vis & pondus Synodicæ deciſionis, haud abs re fecero ſi eam verbo ad verbum retulero; Extat inter *Quæſtiones particulares* illius Synodi *art.* 95. in hæc verba; **Oft de Canonijcken ende andere Geeſtlijcke Perſöonen (zoomenſe noemt) behoudende haer beneficie / als Dekenien / Pꝛooſterien &c. doch ſonder ſuperſtitie ofte afgoderye / tot den avondtmale mogen ontfangen woꝛden; ende ofte ſy daernae tot het Ouderlinſchap ofte Diakenſchap mogen angenomen woꝛden? Antw. Sy ſullen tot verſakinghe aller ſuperſtitien / ende tot recht gebꝛuyck haerder goederen vermaendt woꝛden; dewelke doende zy vande gemeenſchap des Avond maels niet afghehouden mogen werden / maer tot het Ouderlinghſchap ofte Diakenſchap ſullen zy niet toegelaten woꝛdē / dan met gꝛoot voꝛſichticheyt.** Ut verò Latinè hæc reddam, ſumma huc redit, Quæri, An Canonici & aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ aut ex Clero, (ut quidem dicuntur) retinentes ſua Beneficia, Decanatus, Præpoſituras & ſimilia, ſed tamen abſque Idololatria & Superſtitione, poſſint recipi ad Sacram Cœnam, & exinde ad Munera Seniorum & Diaconorum admitti;

admitti; Reſponderi autem à Synodo, Eos monendos ut omnem eju-rent Superſtitionem, & benè utantur ſuis bonis, quo facto non ar-cendos à communione Sacræ Cœnæ; Sed ad Senioratum aut Diaco-natum, nonniſi valde circumſpectè admittendos.

Hic ſanè multa ſunt conſideranda. Primùm enim hæc eſt deciſio non Synodi alicujus Provincialis & particularis, ſed Nationalis & totius Belgii; ad quam obſtringuntur in his Provinciis omnes Paſtores & Profeſſores qui Schiſmatici nolunt haberi, donec per ſimilem con-ventum refixa fuerit. Eâ autem declarantur admittendi ad Sacrã Cœ-nam Canonici qui ejurato Papiſmo retinebant ſua beneficia. Ut verò id nunquam ſtatuiſſet illa Synodus Nationalis, ſi poſſeſſionem horum bonorum judicaſſet incompatibilẽ cum ſincera profeſſione Religionis Reformatæ & officio bonæ conſcientiæ; ita quos Synodus Nationa-lis tam ſolemniter tunc pronunciavit admiſſibiles ad Sacram Cœnam, quod ſolis piis & honeſtis viris convenit, nullo jure nunc poſſunt pu-blicè traduci tanquam Achanes ac Sacrilegi, & ceu genus hominum maledictum, quorum Societas & conditio ſit in Republica lapis of-fenſionis, hortus nequitiæ, aſylus erronum, ruina plurimum fami-liarum, fax diſcordiæ, factionum ſeminarium, latibulum juge ad-verſus ſeriam Reformationem doctrinæ & morum; His tamen elo-giis contra mentem & judicium Synodi, video Canonicos & Canoni-corum ordinem atque inſtitutum inſigniri *pag. ult. part. 2. Conſ. Theol.* Dicitur enim ille ordo per bona quæ poſſidet manere, **tot eenen van ende ſwaren vloeck / een ſteen des anſtodts ende der ergerniſſe / een vruchtbaren planthof van ſoo vele ſonden / een verderf van de Jeught / eenen toevlucht van vele onnutte ledig-gangers / een ruyne van ſoo vele huyſgeſinnen / (waer van men een beſon-der Chronyckenſchen ſoude konnen ſchryven) een Thoulouſſche gout in onſe Staet / eenen periculeuſe twiſtappel ende een ver-weckinge of voedinge van onderdruppingen factien ende veran-deringe / een veranderlijcke embuſcade ende achterlage tegen de geſtelde ordre der ware Reformatie in ſuyverheyt der leere ende Godtſaligheydt des levens.** Nolim illi deſcriptioni tam hor-ridæ & ſeveræ opponere decreta publica illius Provinciæ, quibus Ordines ſtatuentes neminem ad illa bona & beneficia admiſſum iri ni-

ſi Reformatam Religionem publicè profiteatur, declarant id plurimum facturum promovendæ Dei Gloriæ ac Reformatæ Religioni veræque Pietati in moribus; prout ſuprà ſuo loco viſum eſt; Sed tantum id dico, quod ſi Canonicatui Ultrajectino per ſe & ex rei natura ita convenit eſſe lernam & ſentinam omnium malorum, valde præpoſterum debuit fuiſſe Synodi Nationalis judicium quo pronunciavit Canonicatum per ſe nihil obeſſe Conſcientiæ ac Pietati, neque hæc duo inter ſe pugnare, eſſe Canonicos & eſſe viros pios, honeſtos, bonos & ſinceros Chriſtianos, quales ſolos Conſtitutiones Eccleſiaſticæ inter menſæ Dominicæ convivas admittunt.

Præterea hæc Synodus non tantum cenſet Canonicos Ultrajectinos, qui tunc erant Reformatæ Religionis, admittendos ad Sacram Cœnam, ſed ſupponit inſuper & Beneficia illa quæ retinebant eſſe *ſua*, (non quidem quoad κτῆσιν & Dominium directum, ſed quoad χρῆσιν ac Dominium utile, & quale hodierni quoque retinent; nec enim alio ſenſu *Sua* dicuntur Synodo, vel eorum fuiſſe ſtatuo; ut fruſtra hîc cavillandi & calumniandi anſam quærat S. P.) adeoque illos eſſe coram Deo & hominibus poſſeſſores bonæ fidei, & non obeſſe ſinceræ profeſſioni Orthodoxæ Religionis titulos *Decanatus*, *Præpoſituræ* &c. ſub quibus illa ſua bona poſſidebant; quandoquidem judicat beneficia hæc ſub illis titulis poſſideri poſſe abſque omni Idololatria & Superſtitione. Quare Synodus non præſcribit ut illos deponant titulos, ceu nullâ ratione tolerandos in verè Reformatis & genuinis Eccleſiæ membris, aut ut illa Beneficia abdicent, & inſtar viperæ ſibi adhærentis excutiant in ignem, utpote quæ non poſſint retineri citra conſcientiam Sacrilegij, Achanis reatum, Ananiæ & Sapphiræ crimen; Sed tantum vult eos admoneri priuſquam ad epulum Euchariſticum admittantur, ut omnem Superſtitionem ejurent & illis *ſuis bonis* rectè utantur. Exigebatur ab illis ejuratio omnis Superſtitionis, ut fit ab omnibus Neophytis qui veniunt ex Papatu. Erant verò monendi nominatim ut rectè uterentur illis ſuis bonis, primò ne illis abutentes ad diſſolutionem & luxum, offendiculo eſſent aliis ejuſdem ſecum ordinis, adhuc in tenebris demerſis, qui erant lucrifaciendi Chriſto honeſtâ horum converſatione, 1. Pet: III, 1. Deinde quod cum ex hac ſuorum Beneficiorum retentione & poſſeſſione

ne ditiores eſſent, illis veniret inculcanda exhortatio Pauli 1. Tim: VI, 17. 18. 19. *Iis qui divites ſunt in hoc ſæculo, denuncia ne efferantur animo, neque ſpem ponant in divitiis incertis, ſed in illo Deo vivo qui præbet nobis omnia commodè ad vivendum; ut ſint benefici, ut divites ſint operibus bonis, faciles ad impertiendum, facilis convictus; congerentes ſibi pro theſauro fundamentum bonum in poſterum, ut apprehendant vitam æternam.* Quod ſi ergo ſub illa admonitione generali, quæ ſpectat quoſlibet opulentiores, potuerunt, judice Synodo, citra ullum conſcientiæ gravamen, aut reatum Sacrilegij, illa ſua bona & beneficia retinere ac poſſidere, & cum illa poſſeſſione veris fidelibus & honeſtis Eccleſiæ membris annumerari, cur non jure ſtatuam, nixus authoritate & judicio integræ Synodi Nationalis, infra quam ſubſidere debet hodiernorum Anti-Canonicorum αὐτὸς ἔφατ' (licet S.P. unum ſuum Micam, toti huic Synodo cenſeat præferendum) poſſe etiam hodie ſub ſimilibus titulis ſimilia Beneficia poſſideri abſque læſione conſcientiæ, à viris piis, honeſtis, & addictis Reformatæ Religioni?

Imò tantum abeſt ut Synodus cenſuerit hæc bona non poſſe poſſideri ab hominibus purè Laicis, qui nullo munere vel Eccleſiaſtico vel Academico fungerentur, ut è contrario ſtatuerit hos Neophytos Canonicos recens converſos ad verã Religionem, non eſſe temerè admittendos ad munera Sacra Seniorum & Diaconorum in Eccleſia: Cujus conſtitutionis ratio non fuit quod judicaret Synodus, ut forte aliqui ſuſpicarentur & alii nos volunt ſuſpicari, hos titulos illaque Beneficia irregularitatem quandam inurere ſuis poſſeſſoribus, per quam forent probro vel dehoneſtamento ſacro ordini in Eccleſia. Nec enim negat Canonicos abſolutè ad illa munia eſſe admittendos; cùm certũ ſit eos omnes qui admittuntur ad Sacram Cœnam eſſe capaces horum munerum, ſi non defuerint dexteritas & prudentia aliæque circumſtantiæ perſonales, ad illa benè exercenda requiſitæ; Sed tantum monet ne id fiat imprudenter & temerè: idque duabus potiſſimum de cauſis: Primò quia illi de quibus tum agebatur, erant Neophyti, recens converſi ad profeſſionem veritatis, & forte tales quorum converſatio tempore ſuæ ignorantiæ, non ita boni commatis fuerat: Sic enim Canones Eccleſiaſtici paſſim juxta Dei Verbum ſanciunt ne Neophyti &

qui recens ex gurguſtio Papiſmi & Monachatus prodeunt, præpropere ad Sacrum Miniſterium admittantur; Secundò ne crederetur Eccleſia admittendo ſtatim ſub initium Reformationis, Canonicos converſos ad ſacra munia Seniorum & Diaconorum, velle illos titulos tanquam ſacros adoptare, & illas opes tanquam Eccleſiaſticas ſibi vendicare. Certè ſi ſenſiſſet Synodus hæc bona ad Eccleſiam pertinere nec ab aliis quam ab Eccleſiæ Miniſtris legitimè poſſideri, maluiſſet ſtatim ad aliquod Eccleſiæ regimen admitti eos qui jam illa poſſidebant, quam illos pati fucos agere in alueari Eccleſiæ, mel ejus depaſcendo nec ceram faciendo: Relata, uti notum, ſe mutuo ponunt & tollunt; Si ergo hæc Beneficia & Officia Eccleſiaſtica neceſſariam & inſeparabilem inter ſe relationem habent, debuiſſet Synodus aut iſtos Beneficiatos ad Officia Eccleſiaſtica non tantum admittere ſed conſtringere, aut illis præſcribere ut abſolutè cederent ſuis Beneficiis & ea reſignarent Miniſtris Eccleſiæ.

Nec omittendum quod hæc Synodica conſtitutio proceſſit primò de ijs qui recens deſeruerant caſtra Pontificia; ſecundò de ijs qui manebant Collegæ plurimorum Pontificiorum in ſuæ pſeudo-Spiritualitatis exercitio & profeſſione perſeverantium; tertiò priuſquam de ſtatu Canonicorum expreſsè declaratum eſſet, ut factum anno ſequenti 1582. non amplius illum habendum pro Eccleſiaſtico & Spirituali, ſed pro merè Sæculari, Civili & Laico. Si enim illi tanquam bonæ fidei poſſeſſores horum Beneficiorum in utroque foro, admiſſi ſunt ad Sacram Cœnam qui de facto Spiritualitatem illam profeſſi fuerant haud ita pridem, & de quibus ſuſpicio poterat eſſe quod adhuc animo & mente ei adhærerent; qui perſeverabant in Collegio & Societate plurium aliorum eandem Spiritualitatem retinentium; & priuſquam expreſsè & formaliter anno ſequenti Status Canonicorum Electorum merè Civilis & Sæcularis eſſet declaratus, quod tantum eminenter ac virtualiter jam biennio ante factum fuerat per Unionem Ultrajectinam, quâ libertas Religionis facta erat omnibus Canonicis, ſalvo tamen in cœteris priſco ordine Collegiorum, quem adeo, etſi omnes Reformati fierent, ſartum tectum remanere oportebat; Quanto magis hæc bona fides conveniet poſſeſſioni hodiernorum Canonicorum, quos conſtat nihil habere vel habuiſſe

quoad ſuas perſonas quicquam commune cum Spiritualitate Pontificia, & ex lege Provinciæ debere eſſe Reformatos, adeoque non aliter illa Collegia conſtituere & ſubire, quam prout ſunt Sæcularia & Politica, nihilque aliud ex priori ſuo inſtituto retinent quam Temporale & Politicum axioma, quod Spiritualitati Pontificiæ conjunctum, ab illa fuit ſeparabile & de facto ſeparatum authoritate publicâ?

Equidem haud gravatè fateor loqui Synodum de ijs qui Spiritualitatem Pontificiam antea ſuſtinuerant; Sed cùm profitendo Orthodoxiam, illam omnem Spiritualitatem depoſuiſſent & abjeciſſent, non poterant bonâ conſcientiâ retinere ſuam poſſeſſionem vi ejus quod deſierant eſſe, quodque bona cum conſcientia ampliùs retinere non poterant. Imò nequiviſſent fundare illam ſuam poſſeſſionem in eo quod fuerant antea ſub Papiſmo, abſque reatu Superſtitionis & Idololatriæ, quo tamen liberantur. Mirumque foret Tonſuram Clericalem, quæ polluebat poſſeſſionem iſtorum hominum dum vigeret, potuiſſe eam legitimare poſtquam abjecta & depoſita fuit; aut plus feciſſe ad tranquillandam eorum conſcientiam in iſta poſſeſſione quod priùs Papiſtæ fuiſſent, quam queat facere in hodiernis Canonicis, conſcientia Orthodoxæ educationis ἀπὸ βρέφυς, & quod nunquam, Dei gratiâ, ex Clero Pontificio fuerint. Ajunt Mahumetanos neminem Judæum admittere ad ſua Sacra niſi prius ad aliquot dies fuerit Chriſtianus; Ita videntur Viri Doctiſſimi neminem Reformatum velle admittere ad legitimè poſſidenda Beneficia Ultrajectina, niſi priùs aliquamdiu vixerit ſub Tyrannide & Clericatu Antichriſti. Sed ut ingenuè loquar, non video quî poſſit eſſe illicita eorum bonorum poſſeſſio homini Reformato, qui fuerit natus & educatus à puero in Eccleſia Orthodoxa, quam licitam fatemur omnes homini Reformato qui antea fuit Pontificius; quaſi Pontificium fuiſſe, plus juris quoad conſcientiam conferat alicui in res externas, quam cœteris fidelibus concedi poteſt.

Nec ſanè Synodus fundavit ſuum judicium de Canonicis Ultrajectinis ſuper id quod priùs fuerant, ſed ſuper eo quod tum erant, nempe homines Laici & Sæculares, ſed pii & Reformati, qui à Superſtitione & Idololatria omni ſibi ſedulò cavebant. At ſi illis Neophytis

licuit hæc Beneficia poſſidere, Collegiis ſuis adhuc perſeverantibus pro ſui maxima parte in Spiritualitatis Pontificiæ profeſſione, quanto magis licebit Reformatis eadem retinere, poſtquam Collegia hæc ab omni illa Spiritualitate ſunt defœcata, & ſolis Reformatis conſtare debent? Si Synodus id non aliunde proculdubio judicavit legitimum, quam ex legibus jam ſtatutis per Unionem Ultrajectinam, & quod Canonicis facta eſſet per illam libertas Religionis, & paullò poſt abrogata per Ordines Provinciæ ipſoſque Canonicos cum reliquis duobus membris, Beneficiorum iſtorum collatio Pontifici Romano; quo ſatis profitebantur ipſa Collegia nolle ſe amplius haberi Capitulariter alio loco, quam Collegiorum Sæcularium & Politicorum, quibus ratione bonorum, prædiorum, dominiorum ſuorum, ὑπεροχὴ primi membri in Regimine Reip. conveniret; quanto magis id fuiſſet decretura, poſt ſæcularizatum expreſſis verbis anno 1582. ſtatum Canonicorum & Electorum, & acceſſum poſtea ſolis Reformatis ad illa Beneficia conceſſum? Et licet Synodus formaliter non decreverit perpetuationem iſtorum Collegiorum, ceu conſtantium aut quæ conſtitura erant cum tempore ex ſolis Reformatis, (nam iſtam perpetuationem decernere fuit ipſorummet collegiorum autocratoricè cum alijs duobus membris Reip.) tamen eam ſuppoſuit licitam & poſſibilem.

Nam qui ſupponit licere paucis Reformatis eſſe cœterà Canonicis & Beneficiatis in Capitulis Ultrajectinis, ſupponit idem licere pluribus, & dat licere omnibus quod pluribus licitum facit. Fingamus igitur jam tempore Synodi omnes omninò Capitulares Ultrajectinos factos fuiſſe Reformatos, annon idem illis licuiſſet, quod quibuſdam ex illis licere Synodus judicavit? Imò verò ſi omnes Canonici & Capitulares tunc glomeratim acceſſiſſent ad Religionis Reformatæ profeſſionem, ſibi Eccleſia Ultrajectina naſcens ſummoperè fuiſſet gratulata, & nemo illis controverſiam de ſtatu moviſſet; ſed & ordinem ſuum externum in temporalibus, & ſuam ex illis in Rep. ὑπεροχὴν abſque ulla contradictione retinuiſſent, nec aliter de univerſis ad Orthodoxiam converſis pronunciaſſet Synodus, quam de individuis illis de quibus conſulebatur.

Parum autem dixeris ſi dixeris, ut video fieri à nonnullis, ad-

miſſo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

miſſos quidem fuiſſe à Synodo Canonicos cum ſuis Beneficiis ad Sacram Synaxim, ſed per meram tolerantiam, & citra illius facti approbationem, ut multa tolerat Eccleſia quæ non probat, nec ſtatim peccatum eſſe deſinit quod abſtentione à ſacra menſa non plectitur; Etiam olim tolerata Divortia ſub V.T.& Polygamiam in quibuſdam Eccleſiæ membris ſub initium Novi; Multa quoque poſſe reprehendi in veſtibus, ſermonibus, menſarum apparatu, propter quæ fideles non ſunt arcendi à communione Euchariſtiæ: In illis Reformationis Belgicæ rudimentis multa ferri potuiſſe, quæ tamen per id non probabantur.

Verùm miſſis pluribus quæ hîc reponi poſſent, duo tantum obſervanda putem: Primum, quod ſi omnis Canonicorum culpa veniat hîc conferenda cum ἡττήμασι & peccatis *quotidianæ incurſionis*, uti dicuntur Tertulliano, propter quæ nemini acceſſus ad menſam Domini in Eccleſia denegatur, nihil igitur habebit commune cũ Sacrilegio Achanis & Ananiæ ac Sapphiræ peccato, quæ graviſſima fuerunt crimina, exemplari & extraordinario ſupplicio divinitùs vindicata. Alterum, quod etſi nolim inficiari nonnulla interdum publicè tolerari in Eccleſia quæ nullo modo probentur, id tamen non poſſet applicari huic Synodico judicio de quo agimus: tum quia nulla ei inſunt verba quæ meram ſonent tolerantiam, qualia eo caſu Canones Eccleſiaſtici ſolent adhibere; tum quia Synodus rogata num liceret illos admittere tam ad Sacram Cœnam quam ad munia Eccleſiaſtica, revera rogabatur num in foro conſcientiæ licitum eſſet quod agerent; tum quia eo ipſo quod velit eos admitti ad Sacram Cœnam, judicavit nihil eſſe in eorum facto ejus culpæ quod illis imputatur. Etenim juxta Canones Eccleſiaſticos Fœderati Belgij *art.* 80. peccata quæ merentur vel depoſitionem in Miniſtris Eccleſiæ, vel Excommunicationem in aliis membris, ſunt ea quæ ſecum trahunt notam infamiæ, cujuſmodi inter alia notantur *ſimonia, ingeſtio in alienum officium, furtum, turpis quæſtus*: quæ ferè ſolent objici iis è Reformatis qui Canonicatus poſſident; ac ſi per nomina quæ ferunt ſe ingererent in Officia Eccleſiaſtica ad quæ non ſunt vocati, per Simoniam bona Spiritualia ſibi redimerent, turpem quæſtum ex illis facerent, imò ſacrilegium in illis poſſidendis committerent. Aut igitur nihil horum obſervavit

Synodus Nationalis in Reformatis poſſidentibus Canonicatus Ultrajectinos; aut turpiter prævaricata eſt in Diſciplinæ ſibi commiſſæ exercitio, eos admittens ad Sacram Cœnam, quos ſi admiſſi fuiſſent removendos pronunciare debuiſſet.

Tolerata quidem legimus Divortia ſub V. T. Toleratam quoque ſub initium Novi Polygamiam in ijs qui recens & rudes ad fidem Chriſti accedebant; Sed legimus unà & Divortiorum licentiam non ſemel damnatam in Scripturis, & Polygamiam ſæpiùs improbatam; Quam ſevera exerceretur olim Diſciplina in eos qui uſi libertate Divortiorum per leges Romanas conceſsâ, repudiatâ priori conjuge ad alia vota tranſibant, colligere eſt ex Concilio Neocæſarienſi, & conſtat Fabiolæ exemplo, de qua Hieronymus *in illius epitaphio*, Sed neque Synodus Medioburgenſis, neque ſubſequutæ aliæ Nationales in Belgio, ullum unquam præbuerunt vel minimum argumentum ſuſpicandi ſe quidem factum Canonicorum Ultrajectinorum toleraſſe, ſed tamen nec approbaſſe, nec approbandum cenſuiſſe. Et tantum abeſt ut in decretis Synodorum aut Belgij in communi, aut ſpeciatim Provinciæ Ultrajectinæ, quam tamen hæc cura propiùs ſpectaſſet, vel hilum huc faciens poſſit reperiri, ut è contrario paſſim toto Belgio viri honorati, Beneficia quædam iſtius generis poſſidentes Ultrajecti, abque ſcrupulo fuerint admiſſi ad Sacram Cœnam, & ſæpè quoque in Eccleſiæ Seniores electi cum fructu & ædificatione. De quibuſdam id mihi eſt compertiſſimum, & hodie adhuc dum hæc ſcribo, exempla hujus rei proſtant luculentiſſima. Amſtelodami, Hagæ, Zwollis, alibi, ubi & Canonici & Præpoſiti in Ultrajectinis Capitulis, quoſque tales eſſe conſtat, hoc Sacro munere cum laude defunguntur: Necdum decennium eſt elapſum ex quo in ipſa Provincia Ultrajectina, Batavoduri Seniorem egit Nobilis quidã eximius, D. Plooſius van Amſtel, Canonicus in primo Capitulo; Imo quod magis eſt Ultrajecti in Eccleſia Gallo-Belgica, ſæpiſſimè Canonici ad illius Regimen admiſſi fuerunt & etiamnum admittuntur; Ut patet exemplis D. Goyerii, qui non ita pridem Senior erat illius Eccleſiæ, & D. Wowerii, qui nunc eodem munere in ea optimè fungitur.

Ac prout Synodus Provinciæ Ultrajectinæ nullum unquam fecit decretum contrarium illi Nationali Canoni de quo agimus, aut ex

quo

quo colligere fas ſit hunc Canonem de mera ad tempus tolerantia eſſe intelligendum, vel ad illos quondam Pontificios reſtringendum, ſic neque ipſa-met Eccleſia Ultrajectina, quæ proculdubio illum caſum propoſuit olim Medioburgi, aliter hactenus illam Medioburgicam definitionem intellexerat quam nos; Id enim mihi pro certo dicitur, quod Acta Eccleſiæ Ultrajectinæ, nihil habeant, niſi forte paucis abhinc annis, unde colligi poſſit improbari in Eccleſiæ membris illorum Beneficiorum poſſeſſionem & uſum: Sed è contrario ſemper Canonici fuerunt iſthìc non ſolum admiſſi ad Sacram Cœnam, ubi petierunt recipi ad communionem Eccleſiæ, verum etiam honeſtè & ſedulò ad illam invitati: Ne quid dicam de teſtimoniis fidei & morum, conceſſis ſæpè ab Eccleſia eadem illis è ſuis membris, qui ea petierant ut ſe D. D. Ordinibus probarent qualificatos ad iſtorum Beneficiorum adeptionem & poſſeſſionem.

Huc itaque redeat hoc meum argumentum. Si ea ſit culpa Reformatorum poſſidentium Canonicatus Ultrajectinos quæ illis affingitur, ea ſanè tam gravis eſt ut eos præſtet indignos menſâ Dominicâ & omni munere Eccleſiaſtico in domo Dei: Atqui tantum abeſt ut ullo decreto Eccleſiaſtico ſint unquam pronunciati indigni menſâ Dominicâ & omni munere Eccleſiaſtico, ut è contrario Synodus Nationalis conceptis verbis pronunciaverit eos immunes à Superſtitione & Idololatria, & quà tales capaces Euchariſtiæ & functionum Eccleſiaſticarũ; nihilque poſtea Synodi Nationales aut Particulares ſanciverint quod derogaret huic Judicio, & Eccleſiæ omnes, adeoque & ipſa Ultrajectina, ſemper illi Canoni inſtiterint, & nunquam deliberarint de Canonicis illis aut in poſterum non admittendis, aut poſt admiſſionem rejiciendis, & inſtar putrium membrorum ex corpore Sanctorum reſecandis: Ergo hinc liquet nihil in illis eſſe iſtius culpæ quæ ipſis hodie affingitur.

Sed quid urgeo hîc Eccleſias omnes Fœderati Belgij, conjunctim in Synodis ſuis Nationalibus, & disjunctim, mihi adſtipulantes, cùm poſſim provocare ad omnes Eccleſias Proteſtantes & Reformatas, in quibus Orthodoxi ad Canonicatus quondam Pontificios admittuntur? Nuſquam enim fando auditum, exercitam fuiſſe ullam cenſuram Eccleſiaſticam Abſtentionis à Sacra Cœna aut Excommunica-

tionis, in ullum Orthodoxum ob ſimilem poſſeſſionem, licet nulla ſit aut fuerit unquam vel in Anglia, vel in Helvetia, vel in Germania, ita defæcata, ut ea eſt quam nunc defendimus. Nam in Anglia poſt Reformationem, pleraque iſta bona & beneficia, profligato Papiſmo, fuerant Regum authoritate relicta Eccleſiæ, & porrò ſolemniter puro Dei cultui addicta; adeoque vix poterant legitimè poſſideri niſi ab ijs qui altari miniſtrarent: nam quod ſemel placuit poſtea diſplicere non poteſt. Sic etiam toto Imperio Status & Principes Proteſtantes dicuntur teneri ex *Pacif. Religionis* adeoque ex authoritate Cæſaris, uti citatur & notatur à Reinking *lib.* 3. *claſſ.* 1. *cap.* 3. §. 15. *Bona Monaſtica & alia ad Ceremoniarum Pontificiarum celebrationem deſtinata*, (quod tantum de *mediatis* bonis Eccleſiaſticis videtur intelligendum) *transferre ad Miniſterium Euangelicorum & Academiarum ſuſtentationem aliaſque pias cauſas*; quod & benè ab illis fieri cenſemus, ut ſi qui improbent hoc non ſervari & hæc bona aliis uſibus minus ſacris applicari, ſuis nitantur fundamentis. At verò Ultrajectini Canonicatus nullâ lege Supremi Magiſtratus, nullo Concordato Provinciali poſt Reformationem introductam, fuerunt addicti & conſecrati uſibus Eccleſiæ; Sed è contrario per autocratoricum ipſorummet Canonicorum & duorum aliorum membrorum Provinciæ decretum, remanſerunt in poſſeſſione & uſu Capitulorum, ut ante ſic poſt Reformationem, ceu illorum propria bona, quorum intuitu primas obtinent in Regimine Provinciæ.

Hoc dicant pro me Doctiſſimi Authores *Conſilij Theol. p.* 1. *pag.* 49. & 50. ubi aſſerunt Capitula ſemper poſſeſſionem & adminiſtrationem ſuorum bonorum retinuiſſe ac conſervaſſe in hanc uſque horam, ut *patet*, inquiunt, *ex iis quæ contigerunt an.* 1582. & 1586. & 1610. & 1615. & 1618. 14. *Auguſti, quando erectio Senatus Vltrajectini à primo membro fuit approbata, ſub ea conditione quod Senatus ſolemni Actu in forma, ut etiam factum, promitteret conſervationem & manutentionem ſtatus & bonorum Dominorum Electorum, juxta Edictum Conſilij Status* 4. *Aprilis anno* 1582. & 8. *Ianuarij* 1610. Quin tantum abeſt ut unquam Ordines Provinciæ quicquam decreverint de illis bonis addicendis uſibus pijs Eccleſiæ Reformatæ, ut è contrario ſibi vendicando menſes Epiſcopi & Papæ in eorum collatione, illa ſemper contulerint hominibus

Laicis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

Laicis & Politicis, quales ſenſerunt eos eſſe debere qui poſt abdicatam ſuam Spiritualitatem per ipſa Capitula, aſſentientibus & urgentibus etiam ſuo loco duobus alijs membris, nihil niſi Temporale & axioma Politicum ei innexum ſibi retinuerunt.

Hoc porrò argumentum quod urſi hactenus à Synodi Nationalis deciſione petitum, eo magis urget, quod R.R.Theologi Ultrajectini emittentes anno 1646. ſuam inconditam teſtimoniorum farraginem in negotio fœnebri, ſub hoc titulo *Res Iudicata*, & hujuſce Synodi Medioburgenſis *articulum* 99. citantes de ordine ſeruando in conjugibus & famulis Trapezitarum admittendis cum ædificatione ad Sacram Cœnam, ita loquuntur *pag.* 22. *Particulares quæſtiones in prædicta Synodo ſolutæ, debent eſſe Eccleſiis, eorum Miniſtris, Senioribus & Diaconis pro bona regula, conſilio & inſtitutione cui quiſque debet viriliter inſiſtere, non facilè inde declinando aut contrarium faciendo, donec ab alia Synodo mutatio facta fuerit.* Mirum eſt eoſdem homines tantopere urgere authoritatem & deciſionem hujus Synodi in re Trapezitica, (de qua revera nihil decidit directè, ſed tantum ex Quærentium ſuppoſitione, quod mariti non eſſent ad menſam Domini admittendi, reſpondet ad Erotema de uxoribus & miniſtris Trapezitarum;) & ſuſque deque habere ejuſdem Conventus deciſionem apertam & plenam de Canonicis Ultrajectinis, cui toto Belgio nemo præter eos hactenus reclamavit. Si exercitium menſæ fœnebris eſt abſolutè illicitum, eo quod Synodus cenſuerit Trapezitarum conjuges ad menſam Domini eſſe admittendas, ſi probæ & honeſtæ fuerint, ac declaraverint illam ſuorum virorum negotiationem ſibi non placere, quo tempore uſura erat duplo major, & necdum potuerat ex hominum mente revelli falſum dogma Canoniſtarum, quod omne mutuum debeat eſſe gratuitum omniſque uſura ſit illicita, & recens adhuc erat criminatio popularis & odioſa Pontificiorum contra Calvinum & Geneveníes, ceu fœnoris & fœneratorum patronos; Cur non viceverſâ concludam, licitam eſſe Canonicis Ultrajectinis Orthodoxiam profitentibus ſuorum Beneficiorum poſſeſſionem, nihilque nævi aut vitij in illa Synodum Nationalem deprehendiſſe, eo quod abſolutè & ſimpliciter, citra reſtrictionem, limitationem, aliam-ve notam improbatæ id genus poſſeſſionis, eos cenſuit, judicavit, pronunciavit ad epulum Dominicum

minicum

minicum eſſe admittendos, nec indignos qui ſuo loco & tempore in Seniores & Diaconos Eccleſiæ eligantur?

Huic noſtro argumento, nihil habet quod opponat S. P. cui jam ſatisfactum non ſit. Negat Synodum Medioburgenſem agere de Canonicis Ultrajectinis: at impudentior ſit oportet ipſamet impudentiâ, dum id negat; cùm nulli alii concipi poſſint de quibus iſte Caſus in Synodo Nationali Fœderatæ Belgicæ proponi potuerit. Negat eam agere de Canonicis Reformatis; cùm tamen agat de iis qui ejurato Papiſmo ad Eccleſiæ Reformatæ cultum tranſierant; nec de alijs potuerit deliberari, eſſent-ne admittendi ad Sacram Cœnam. Negat parem eſſe rationem hodiernorum Canonicorum in Reformata Eccleſia natorum & educatorum, cum illis de quibus agit Synodus, qui ex Papatu venerant & ſua *beneficia* propter *officium* obtinuerant, eaque retinebant ex neceſſitate aut egeſtate, ut inde viverent; Sed jam ſatis ſuperque hæc ſunt confutata; nec enim delegatio ad *officium* Superſtitioſum & Idololatrium, cui penitùs renunciaverant, plus juris potuerat illius conferre hęc in bona, ceſſante illius officii exercitio, quam illo procedente, atqui tum polluta erat eorum conſcientia, & iniquiſſima poſſeſſio. Quod ſi ſolum attendiſſet Synodus ſuſtentationem neceſſariam iſtorum Neophytorum, potiùs cenſuiſſet illis proſpiciendum ex eleemoſynis Eccleſiæ, quam vivendum ex Idololothytis, cum reſpectu formali ad *officium* vitioſum cujus intuitu illa poſſederant; id enim per conſcientiam & citra illius gravamen ipſis non licuit. Ait Synodum eos non conſideraſſe ut Laicos, &, ut loquitur, Gereformeerde wereltſche menſchen / (quæ phraſis minùs benè ſonat in ore Theologi, ac ſi fideles Reformati qui nullo Miniſterio ſacro funguntur, ſæculares, profani, & ex hoc mundo, eſſent cenſendi:) ſed ut Clericos & Eccleſiaſticos ex Papatu venientes; Verùm etſi Synodus eos tales vulgò appellari agnoſcat, neutiquam tamen poſſeſſionem eorum fundari cenſuit in prætenſo illo Clericatu, quem omninò ejuraverant & deſeruerant; adeoque non aliter eos conſiderat quam ut Laicos homines, Reformatam Religionem profitentes, eaque bona ſub priſcis nominibus & titulis, ſed abſque Superſtitione & Idololatria, ceu *Sua*, quoad dominium utile, poſſidentes. Nec

potui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

potuit Synodus cenſere eorum hæc eſſe bona, vi illius prætenſi officii quod priùs exercuerant, cùm ille titulus fuerit planè vitioſus, neque iſta poſſent ex eo titulo bonâ conſcientiâ tanquam *Sua* poſſidere: Sed judicavit Synodus quod *Sua* eſſent per Concordata Unionis Ultrajectinæ, quibus eo ipſo ſæcularizabantur Capitula & Collegia Canonicorum, quod illis in ſuo eſſe remanentibus, ſingulis tamen eorum membris religionis & veſtium libertas concederetur; prout anno poſt Synodum, iidem declarati ſunt cenſeri in Rep. non pro Eccleſiaſticis, ſed pro Laicis. Et noſter S. P. ſtultè ac petulanter agit, dum vult tantum differre hodiernos Canonicos ab iis de quibus agit Synodus, quantum differunt à Paſtoribus Belgis, qui nudo capite concionantur, Paſtores Eccleſiarum Gallicæ linguæ qui concionantur tecto capite, & periſcelidas quandoque geſtant ac manicas ex linteo: Petulanter quidem, quod univerſum ordinem Eccleſiarum Gallicanarum, tam in Belgio quam extra illud, Satyricè impetit, eo quod earum Paſtores operto capite concionentur: pertendunt enim ſe ita inhęrere ſenſui legis Paulinæ 1. Cor: XI, 4. ut fratres Belgæ ejus literæ inſiſtunt; quamvis nec forte illi qui mitellas coriaceas, non tam ex neceſſitate, quam ex affectata gravitate, retinent; Manicas verò lineas ac periſcelidas geſtare, vel non, adiaphorum eſt, & tam iniquè obtrudas Gallicanis Paſtoribus in Belgio ritus & habitum Belgarum, quam iniuſti forent Galli ſi Belgas ad ſuum modulum componi vellent. Stultè verò & perabſurdè ad ſuam cauſam: Nam cùm illud diſcrimen inter Paſtores Gallos & Belgas ſit accidentale, nec impediat quominus illi æquè ac iſti fideles Jeſu Chriſti ſervi ſint habendi, nihil quoque debebis ſtatuere diſcriminis eſſentialis inter hodiernos Canonicos & eos de quibus agit ſanctio Synodica; adeoque illi non minus quam hi rectè poſſident ſua beneficia. Denique pertendit, ſed valde timidè, etiam conventus Eccleſiaſticos in Provincia Ultrajectina, Canonicatus hodiernos improbaſſe, amandato ſuo lectore ad *Theol. Conſil. p.* 2. *à pag.* 133. *ad* 141. Sed ibi ſane nihil planè reperio, quo Eccleſiaſticè decernatur Canonicos hodiernos vel arcendos à Sacra Cœna, vel ad munia Eccleſiaſtica Seniorum & Diaconorum non admittendos. Urgetur quidem quod Eccleſia Ultrajectina ab anno 1618. in hunc uſque diem, nullum ex Canonicis ad hæc munera elegerit;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

gerit; Sed nec affirmativè eos unquam declaravit non eligibiles; & eorum non electorum, aliam alibi reddimus rationem; & videtur Doctiſſimus Conſultor fateri tacitè aliud obtinuiſſe ante annū 1618. & fratres Wallones aliter egiſſe hac in parte Ultrajecti quam Belgas, ſuperiùs dictum eſt: prout ibi etiamnum hodie D. Schadè, familiæ antiquæ & honoratæ Canonicus, Senioris munere fungitur, an cūD. Wowero, an ei ſuccenturiatus, neſcio. Urgetur quod anno 1645. 17. Februarii cœperit ſcrupulus moveri à Conſiſtorio circa teſtimonia iis concedenda qui *Placitum* Ordinum debent conſequi pro ejuſmodi Beneficiis obtinendis & poſſidendis; Sed unà fatetur Celeberrimus Conſultor, nihil ante annum iſtum 1645. in Presbyterio hac de re motum fuiſſe, quod quam recens ſit & quo authore id evenerit, nemo neſcit: Non licuerat antea illius Eccleſiæ Rectoribus eſſe tam accuratis, imò nec ipſi Conſultori, qui toto decennio ante, citra ſcrupulum in ejuſmodi teſtimonia cum ſuis Symmyſtis conſenſerat: Nec tamen per illud conſtitutum fuit talia teſtimonia amplius non conceſſum iri, ſed è contrario, ut ipſe fatetur, conventum ea porrò concedenda ſolito more; idque expreſsè cautum 8. Junii & 26. Oct. 1646. Urgetur quod in Claſſe Ultrajectina anno 1654. quidam Paſtor promiſerit ſe abdicaturum commodiſſimo modo Vicariatum quem poſſidebat, quod judicaretur tales Vicariatus poſſideri à Paſtoribus, non ſatis eſſe ex ædificatione; Sed præterea quod hoc quoque valde novum eſt, & pertinet ad influentias noxias ejuſdem Syderis à quo omnes hæ turbæ à decem vel duodecim annis natæ ſunt Ultrajecti, plus cauſæ huic obeſſe quam prodeſſe poteſt; cùm ſi bona iſta ſint, ut pertenditur, formaliter Spiritualia & Eccleſiaſtica, eo potius à Paſtoribus poſſideri debeant quam ab aliis. Adeoque firmiſſimo ſtat talo quod dixi, nihil unquam *Synodicè* in Provincia Ultrajectina decretum fuiſſe, ex quo liqueat ad Canonicos hodiernos deciſionem Medioburgenſem non pertinere; cùm è contrario Docto Conſultore fatente, conſequenter ad eam deciſionem, Eccleſia Belgica Ultrajectina ſemper abſtinuerit ab illis nominandis ad munia Eccleſiaſtica: & nihil extare in Actis Eccleſiæ Ultrajectinæ, niſi *paucis abhinc annis*, ex quo colligi poſſit eorum ordinem ullo modo improbari: & quod nequidem huc uſque deneget teſtimonia ſua neceſſaria ad Canonicatus acquirendos &

poſſidendos,& quæ ſcit in eum finem peti: Quod autem Presbyterium illud recens decrevit verbaliter ſignificandum iis qui illa teſtimonia conſequuntur, non tamen per id Presbyterium approbare redemptionem uſitatam & poſſeſſionem illorum bonorum, (quamvis anno 1645. hæc declaratio ſpectaret ſolos Vicariatus, ſed cœpit extendi ad cœtera Beneficia anno ſequenti, ex axiomate illius qui ſemper Auguſtus, ſemper etiam tendit *Plus ultra*) debet omninò ſumi pro proteſtatione contra factum, quæ nihil operatur. Num verò poſſint tam *præciſi* Theologi largiri ſua Eccleſiaſtica teſtimonia ad id quod norunt & proteſtantur eſſe vitioſum & illicitum, viderint ipſi, viderint & alii Caſuiſtæ.

CAPUT SEXTUM.

Argumentum quintum petitum à Caſibus planè ſimilibus, in quibus agnoſcitur nihil eſſe reprehenſibile.

AB utraque Authoritate, Civili & Eccleſiaſtica, in quibus nolle acquieſcere eſſet hominum plus juſto ſibi tribuentium, tranſeo ad argumentum aliud, petendum à Caſibus huic noſtro ſimillimis, in quibus nequidem ipſe Momus quicquam habet quod reprehendat: Nam cùm de ſimilibus ſimile debeat eſſe judicium, ſaltem apud æquos rerum æſtimatores, non putem quemquam ulteriùs repertum iri qui ſiniſtriùs judicet de Canonicis Ultrajectinis, ſi oſtendero alios reperiri in eadem Provincia ejuſdem commatis, imò magis ἐυδιαβλήτȣ, quos tamen ab omni noxa abſolvendos eſſe, in confeſſo eſt. Non eſt ergo quod excurram per alias partes orbis Reformati, & oſtendam quomodo variis in locis, Canonicorum nomina & beneficia uſurpentur ab Euangelicis & Reformatis, etiam nullo munere Eccleſiaſtico aut Academico fungentibus ubi eorum Beneficia ſita ſunt; Mihi enim fortè illicò reſponderetur non exemplis eſſe vivendum, ſed legibus; Quanquam prudens Theologus non temerè damnabit domi tanquam grande nefas, quod viderit in aliis Eccleſiis citra ſcandalum & offenſionem promiſcuè uſurpari.

Sed agam preſſiùs, & oſtendã Ultrajecti ea vigere & fieri approbante Eccleſiâ & nullo hactenus improbante Theologo, quæ ſint ejuſdem

planè ordinis cum hoc ipſo caſu quem tractamus, niſi quod is ſit adhuc defœcatior & liquidior. Sunt inter alia Ultrajecti duo Equitum Sacrorum Collegia Provincialia, alterum Teutonicum appellatum, alterum dictum S. Catharinæ, & quinque Monialium Nobilium, (ne dicam de aliis Conventibus muliebribus ad Urbem ſpecialiter ſpectantibus) quæ ita permanent in eſſe, ut eorum bona & beneficia conferantur utenda fruenda Reformatis, Equitum quidem viris, Monialium verò puellis Nobilibus aut honoratioribus ex ordine Civico, etiam his cum tacita lege cœlibatus; ſiquidem quam primum conditionem nactæ ſunt ac maritum conſequutæ, excidunt ſuo Beneficio, illudque tanquam vacans ab Ordinibus alteri alicui illicò confertur.

Non eſt quod probem nihil improbari in illorum Beneficiorum poſſeſſione per Reformatos; Id enim eſt in confeſſo, ut ſatis patet ex *Conſ. Theol. p. 2. pag. 27. & ſeqq.* licet S. P. id nunc videatur negare, ſeipſo aut ſuo Præceptore ſapientior factus. Tantum videndum eſt quam benè procedat argumentum inde deſumptum pro Canonicis; Id enim videntur Viri Doctiſſimi inficiari, ſed quod ſalvo eorum & honore & judicio meliori in aliis forte rebus dictum velim, minus firmis argumentis: Duo enim ſunt capitalia quæ damnantur in Canonicis; Nomina nempe & Bona; & quod hæc Bona quæ ſunt Sacra, Spiritualia, Eccleſiaſtica, Patrimonium Chriſti, ſi Diis placet, poſſideant, & quod illa poſſideant ſub nominibus veteribus, Decani, Archidiaconi, Canonici &c. Atqui eadem hîc recurrunt: Nam & Equitum Teutonicorum ac Joannitarum & Monialium Nobilium bona ſunt æquè Eccleſiaſtica, Spiritualia, Sacra, ſenſu Pontificio, ac bona Canonicorum. Notum quibus argumentis non ita pridem in Belgio Reformato, quarundam Urbium Magiſtratus defenderint jus ſibi fuiſſe Joannitarum reditus in fiſcum ſuum redigendi, non ſecus ac alia Pſeudo-Eccleſiaſtica bona, in quæ omnia Supremus Magiſtratus à longo tempore manus injecit: Notum Quæſtores bonorum Eccleſiaſticorum in aliis Provinciis & quoad Generalitatem, ſub hoc titulo Monialium quondam reditus omnes, imò & alicubi Equitum non unius ordinis, ceu ad Bona Eccleſiaſtica ſpectantes in ærario ſuo habere.

Nec

Nec mirum; cùm revera Equites & Moniales in Papatu ad ſubtiliſſimam Spiritualitatem ejus pertineant, eò magis quam Canonici, quod hi Sæcularibus annumerentur vulgò, etſi ſint etiam Presbyteri; illi & illæ Regularibus, quorum propriè eſt perfectionem Euangelicam in Conſiliorum obſervatione profiteri, & tria illa ſolemnia emittere vota, Paupertatis, Caſtitatis & Obedientiæ, in quibus conſiſtit anima Monachatus, & ad quæ formaliter Canonici non tenentur. Id maximè urgetur adverſus Canonicos, quod Canonici Ultrajectini quondam *Cœnobitæ*, *Clauſtrales*, *Regulares*, imò *Monachi* dicerentur, unde etiam unum ex Capitulis *vetus Monaſterium*, appellatur: Videatur *p.* 2 *Conſ. Th. pag.* 205. Sed præterea quod eo ipſo nequiverit igitur illis convenire *cura animarum*, quam tamen volunt Eruditiſſimi Viri ijs vendicare *ibid. pag.* 212. & 213. notum enim illud Hieronymi *ad Riparium*, quod etiam Gratianus retulit *in Decretum ſuum*, *cauſa* 16. *q.* 1. *c.* 4. *Monachus non docentis ſed plangentis habet officium*; nota quoque hodierna in Papatu controverſia inter Hierarchicos & Regulares, illis negantibus Monachos ullum gradum in Hierarchia Eccleſiaſtica obtinere; Si hoc facit ad gravandam cauſam Canonicorum Reformatam Religionem profitentium, quod olim Canonici Pontificij, (quorum nihil retinent præter nomina & bona temporalia, ijſque neceſſariò in ea Provincia innexam Politicam Poteſtatem; ut revera parum eorum referat quales illi fuerint, atri an albi, in ſua prætenſa Spiritualitate tempore Papatus) fuerunt dicti *Regulares*, *Clauſtrales*, *Cœnobitæ*, *Monachi*; id multo magis deberet gravare eos è Reformatis qui in eadem Provincia, Præbendas vel Equitum vel Monialium poſſident ex Ordinum collatione; cùm revera illæ quarum nunc præbendæ & bona conferuntur Virginibus Reformatis, fuerint *Moniales*, *Monachæ*, *Clauſtrales*, *Cœnobitæ*, *Regulares*; & Equites Sacri ſemper in Papatu Regularibus & Monachis fuerint annumerati: unde Hoſpinianus, Theologus Reformatus, in opere ſuo *de Monachis*, agit ſimul de Equitum iſtorum ſacrorum inſtitutis & origine.

De Teutonicis Equitibus notat nominatim illius ſui operis *lib* 5. *cap.* 19. eos *Marianos* appellari, (unde & *Mariemburgum* illud oppidum dictum in Boruſſia, quod ſummi eorum Magiſtri ſedes erat) &

Auguſtini regulam ſectari, & ex illis quoſdam debere operari ſacris, quibus *barbam alere fas non ſit*. Et in communi de Joannitis & Hoſpitalarijs, qui & nunc Melitenſes dicuntur, *ejuſd. lib. cap.* 18. refert quod *Ordinis cenſentur S. Auguſtini, atque Orationem Dominicam certo numero repetitam pro Canonicis horis pronunciant*; Item quod ſolemniter voveant omnes *Obedientiam, Paupertatem & Caſtitatem*. Et cùm in tres ordines diſtribuantur, *Sacerdotum, Equitum & Servientium*, tamen qui Equites S. Catharinæ Ultrajecti dicuntur, ante Reformationem fuerant à Pontifice quadantenus humiliati, & ex Equitibus militantibus facti *Equites orantes*, qui diſtribuebantur in decem *Commendatores* & decem *Conventuales*, quos in hunc uſque diem *Præbendatos* Ultrajecti nuncupant, & qui ſubſunt *Ballivio* atque *Priori*, (qui proculdubio *Conventualis Prior* cenſeri debet, juxta Priorum diſtinctionem quæ extat apud Tholoſanum, *Syntag. Iuris, lib.* 15. *cap.* 18. *n.* 2.) ſub cujus authoritate ſuis *Præbendis* utuntur & fruuntur.

Ex decreto Provinciali facto 11. Octob. 1611. ad inſtantiam D. Bernardi van Schoonhoven, Prioris illius Conventus & Commendatoris Werdenſis, cuidam Franconi Cuyckio, modò ſua ſtudia perſequatur in aliqua Schola Reformata Fœderati Belgij, confertur **eene plaetſe ende Prebende inde Convent van S. Catharine binnen Utrecht/** *locus & Præbenda in Conventu S. Catharinæ, Ultrajecti*, deſignatâ ei annuâ penſione quouſque reditum fuerit ad ſolitum numerum *decem Præbendatorum* eo loci; **tot dat t' getal van de Prebendaten S. Catharine weder gecomen zy op 't ordinaris getal van tien Prebendaten:** & injungitur *Priori & gregarijs Conventualibus*, **gemeyne Conventualen /** *ut & Quæſtori prædicti Conventus*, ut hunc Franconem Cuyckium in ſuum Conventum recipiant, emuque curent & patiantur frui, **alle ende ſulcke alimentatie / woonplatſe / mitſchapen / eeren ende prouffiten /** eâ omni alimentatione, domicilio, ſocietate, honore & emolumentis, quæ ipſi ceu Præbendato queant convenire. Et alio decreto itidem Provinciali facto 18. Dec. 1616. aufertur cuidam N. N. *Præbenda S. Catharinæ*, ei antea collata eo fine ut ſe præpararet ad Sacrum Miniſterium, quoniam Theologię ſtudium reliquerat, & multa alia minus convenientia patraverat, ac prohibetur *Priori & Quæſtori S. Catharinæ*, quicquam amplius ei perſol-

perſolvere, aut ullum emolumentum concedere, donec ſua ſtudia reſumpſerit & mores emendaverit.

Igitur & in conditione Bonorum & in Nominum uſurpatione par eſt ratio Præbendatorum & Præbendatarum ex Reformatis Ultrajecti inter Equites tum Teutonicos tum S. Catharinæ ſic dictos, nec non eas Virgines quibus ibi cedunt Præbendæ quinque Clauſtrorum Monialium Nobilium, quæ poteſt eſſe Canonicorum & aliorum membrorum quinque Capitulorum, qui Reformatam Religionem profitentur: Nam adhuc in Inſtrumento Pacis Monaſterienſiis, non minus *Prælaturæ*, *Abbatiæ*, *Balliviæ*, *Commendæ*, bonis Eccleſiaſticis annumerantur, quam *Archiepiſcopatus & Epiſcopatus*, *art.* 5. *n.* 3. Nec minus illorum & illarum quam horum bona Deo dicata fuerunt & legata ad uſus ſacros, ſenſu Pontificio, adeoque ex Juris Canonici regula, *reg.* 51. *de R. I. in* 6. *ſemel Deo dicata ad uſus humanos*, ideſt, juxta Gloſſam, *ſeculares & ſecularium perſonarum*, *ulteriùs transferri non poſſunt*; quia *non ſolum in dominium laicorum*, *ſed nec etiam in uſum*, inquit eadem Gloſſa, *tranſire debent res Deo dicatæ*. Quo loco venire debet quicquid eſt rerum corporalium in Provincia Ultrajectina ad Supremum Regimen pertinentium; nam id omne communi illo nomine quo tota Provincia ſolet exprimi, vernaculè **Sticht** / proculdubio intelligitur.

Deinde non minus illorum & illarum, quam horum Beneficia poſſidentur, uti viſum, ſub titulis Pontificijs, quales ſunt tituli Præbendarum, Præbendatorum, Conventualium, Balliviæ, Prioratus, &c. Cur ergo magis illicita erit poſſeſſio Canonicorum, quod ſit talium bonorum & ſub ejuſmodi nominibus, quam aliorum qui ſimiliter authoritate publicâ ſimilium bonorum & ſub ſimilibus nominibus poſſeſſores conſtituuntur? Cur S. Catharinæ Præbendati, Ballivius & Priores, tranquilliori erunt conſcientiâ Ultrajecti, quam S. Martini Decanus & Canonici? Quo jure majus erit peccatum in homine pio & Reformato eſſe Præpoſitum **inde Oudt Munſter** / aut Theſaurarium ad S. Johannis, quam eſſe Equitem Sacrum Marianum **inde Landt-Commanderie** / aut Johannitam, Ballivium & Priorem ad S. Catharinæ? Quo argumento magis licebit fœminis Reformatis, frui Præbendis Mariendaliæ, quam viris, beneficijs S. Mariæ? Aut

cur non æquè ferat tellus Ultrajectina Reformatos Canonicos qui **Dom-Heeren** appellentur, ac Reformatas Canonicas quæ alantur ex reditibus illius Cœnobij, quod **Vrouwen-Kloſter** appellatur? Suſpicor enim (præter id quod inferiùs annotabitur de conſilio Ordinum Ultrajectinorum, circa Reformationem Clauſtrorum fœminini generis) ex quinque illis Clauſtris virginum Nobilium Ultrajecti, quorum nunc Præbendæ honeſtis Virginibus Reformata ſacra profitentibus cedunt, aliquod fuiſſe ex eo genere quod *Canonicarum Sæcularium* dicitur, de quibus agit Tholoſanus *Synt. Iuris, lib.* 15. *cap.* 17. *n.* 9. eo magis quod in illa Canonicarum Sæcularium Collegia, quæ adhuc multis in locis obtinent inter Pontificios, ſolæ etiam Nobiles puellæ admittantur; quamvis non diffitear dari etiam Monialium regularium Clauſtra, in quæ nulla recipitur quæ ſtemmatis nobilis non fuerit.

Neque mihi ſatis eſt oſtendere, nihil poſſe concipi ſolidæ rationis cur majoris reatus poſſint accuſari Ultrajecti Præbendati Capitulares, quam vel Præbendatæ Virgines, vel, Præbendati Equites Sacri Teutonici & Johannitæ; aut quare homini Reformato ſit liberius in conſcientia eſſe Præbendatum ad S. Catharinæ quam ad S. Martini, ut in hoc culpari poſſit quod in illo probatur & laudatur, atque ob idem omninò factum alter crucem referat, alter præmium: Urgeo amplius, & pertendo quod comparatione factâ inter utroſque, longè juſtior ſit & minus ἐυδιάβλητος Canonicorum quam reliquorum cauſa. Etenim ex omnibus Collegiis Pſeudo-ſacris quæ erant Ultrajecti, ſola quinque Capitula debuerunt neceſſariò remanere, quoniam illis ſemper competiit Poteſtas Politica in Regimine Provinciæ, & ab initio Reip. liberatæ & reformatæ, partim autocratoricè pro ſua parte ſanciverunt, partim ab alijs duobus membris ſtipulata ſunt, ſui conſervationem & perpetuationem, tum quoad ſuos reditus, tum quoad ſuum Politicum axioma in Rep. Cœtera verò, quæ Supremo Magiſtratui per omnia ſuberant & nihil habebant juris in Majeſtate Civili, potuiſſent facillimè penitùs aboleri, cùm illa ſub priſcis nominibus ſæcularizandi nulla incumberet neceſſitas. Si igitur lìcitè potuerunt ſub priſcis nominibus ſæculariżari Ultrajecti, Collegia, Cœnobia & Conventus Equitum Marianorum, Johannitarum, Virginum

ginum Nobilium, ſingulorum Beneficijs & Præbendis conceſſis abſque gravamine Conſcientiæ perſonis Reformatæ Religionis; quamvis ad illam ſæcularizationem Supremus Magiſtratus non urgeretur ullo reſpectu, vel fidei publicæ non temerandæ, vel Majeſtatis eorum in Rep. non lædendæ aut imminuendæ, ad quos ab ævo pertinuerat; quanto magis licita fuit ſæcularizatio & conſervatio quinque Capitulorum, quæ citra notoriam perfidiam, & crimen læſæ Majeſtatis, cujus partem ſemper ſuſtinuerunt, nequiverunt aboleri?

Video equidem multa movere nonnullos ad vim enervandam iſtius argumenti, & neſcio quæ diſcrimina magna ruſpanda inter Præbendatos Capitulares & alios utriuſque ſexus Ultrajecti, quibus citra conſcientiæ ullam læſionem licet ſimul iſthic eſſe Præbendatis & genuinis Reformatis; Sed ſimul video eos vel parum vel potiùs nihil promovere: Nam Canonicorum bona non fuerunt deſtinata tantum cultui Superſtitioſo, ſed etiam partim in ſubſidium juge Nobilium familiarum, unde multa extant inter Pontificios Capitula quæ patent ſolis Nobilibus; partim ad tuendum axioma Politicæ Poteſtatis, illis ab ævo conceſſæ in Rep. & ceu illius ejuſdem Poteſtatis non adjunctum modò & ornamentum, ſed baſis quoque & fundamentum, quod ſuo loco fuſiùs oſtendam.

Neque ex æſtimio Pontificiorum magis ſacra & ſpiritualia ſunt bona Canonicorum, hominum ſuo ſenſu ſæcularium nec vacantium curæ animarum, quam illa alia cum quibus ea nunc conferimus, quæ fuerunt regularium, & quorum nonnulli debebant eſſe neceſſariò Sacerdotes, ut ſuprà viſum de Joannitis. Æquè etiam Moniales fuerunt olim inſtitutæ ad Officium recitandum, cantillandum in Choro ſuo, & precandum pro mortuis, dum interea ipſæ viventium reparationi minus honeſtè & aſſiduè incumberent, ac Canonici deſtinati, judice Tileno *Synt. p. 2. diſp. 3. de Antich. §. 15.* ad *battologicas precatiunculas otiosè demurmurandas, & ſuaviter cantillandum*, dum *foris ſanctimoniæ ſpeciem præbent, domi* verò *cuticulam curant & Bacchanalia vivunt, præſertim ij qui vocantur Canonici ſæculares, quod genus hominum nonnemo ex ipſis Pontificiis appellat monſtrum ſine exemplo regularem ſine regula, Canonicum ſine Canone, Albert. Crantz. lib. 3. cap. 15.*

Non neſcio aliquid eſſe diſcriminis in Papatu inter milites Sacros

& Canonicos; ſed quod nihil facit ad hanc Quæſtionem; Nam ſi uſum utrorumque ſub Papatu conſideremus, militant æquè Superſtitioni & Idolo, hi in toga, illi in ſago; & pariliter pertinent ad Babylonis militiam partim ſagatam partim togatam. Hinc apud Cardinalem Toletum *lib. 1. Inſt. Sac. cap.* 31. *n.* 5. Joannitæ milites, annumerantur Clericis in quos nemo violentas manus injicere poteſt, quin ipſo facto ita excommunicetur, ut à ſolo Papa abſolvi poſſit. Quod ſi igitur illorum Equitum Papalium bona quondam Sacra & Deo dicata ſenſu Pontificio, poſſunt bonâ conſcientiâ à Reformatis Laicis poſſideri, & ad uſus verè ſæculares transferri, cur idem non poterit obtinere in Canonicorum bonis? Si Johannitarum Collegia & Conventus ſic potuerunt ab omni Spiritualitate Pontificia defœcari & ita ſæcularizari, ut nihil ſacri retineant præter priſca nomina, non alij nunc uſui inſervientia quam deſignandæ & diſtinguendæ conditioni & quantitati Præbendarum quas quique poſſident; quidni idem potuerit obtinere in quinque Capitulis, ut omni Spiritualitate abjectâ, ſub priſcis nominibus diſtinctivis ſuorum Beneficiorum, merè Politica fierent, in quibus continuaretur & perpetuaretur annexa illis ſuis beneficijs Poteſtas Politica & prima pars ſupremi Magiſtratus in illa Provincia? Nec poſſum huc non referre quæ Doctiſſimus & Celeberrimus Author *Fratern. Mar.* contra me olim diſputabat, illius libri ſui *pag.* 206. Statuit enim ibi de Collegio ſive Sodalitio Mariano Sylvæducenſi, quod toto libro multo magis Sacrum & Eccleſiaſticum faciebat (falsò tamen) quam Canonicorum Ultrajectinorum Capitula, *utiliſſimum & tutiſſimum* futurum fuiſſe *Religioni & Eccleſiæ ſi paulatim cum Præpoſitis abjiſſet in Reformatum*; *quod*, inquit, *fieri poſſe, docuerunt exempla Civitatum, quæ gliſcente primùm Bello Belgico Confœderatis ſe adjunxerunt, hac conditione ut retinerent Statum Religionis Pontificiæ, cum Clericis, Monaſteriis, reditibus Eccleſiaſtici. Quibus cum nihil contra fidem datam ereptum aut extortum (uti ſubinde calumniantur Pontificii) ſit, non defuit tamen ſalutaris ſucceſſus ita, ut majorem partem, alicubi etiam in ſolidum, nunc conſtent ex reformatis, qui ferè poſt Deum dextra & firmamentum Reip. & Religionis contra Hiſpanico-Papalem tyrannidem.* Quo ſanè loco non dubitè Eruditiſſ. Scriptorem ad ſuæ Urbis Canonicos & Capitula maximè ac potiſſimum reſpexiſſe. Eò magis

quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

quod *pag. ſeq. nempe* 207. aſſerat *Supremarum eſſe Poteſtatum* Collegia Sacra & Eccleſiaſtica *ſæcularizare & planè alia conſtituere quam à prima erectione ſuerant.* In ſæcularizatione autem Capitulorum Ultrajectinorum non minus interceſſit authoritas ſupremæ Poteſtatis, cujus & ipſa primam partem conſtituunt, quam in ſæcularizatione aliorum in eadem Provincia Collegiorum & Conventuum.

Parum autem facit ad rhombum, vel quod Collegialiter non conveniant Virgines, quæ quondam Monialium Præbendas obtinent; vel quod nec illæ nec Johannitæ quicquam ſibi arrogent in Reip. Regimine; vel quod bona quibus fruuntur, nanciſcantur in Reformatis uſum parilem & analogum ei quem obtinebant ſub Papatu: Etenim homines Reformatos, convenire vel non convenire Collegialiter, ſi non agatur de conventibus formaliter & propriè dictis Eccleſiaſticis, aut de coitionibus in ſe turpibus & illicitis, nihil facit ad conſcientiam. Habent quoque Ultrajecti Commendatores Conventuales & Præbendati, cùm Teutonici tùm S. Catharinæ, ſuos conventus, **Maitſchapen** / ut ante viſum, qui nihil vitiant poſſeſſionem Præbendarum ſuarum, earumque uſurpationem ad uſus merè ſæculares & humanos. Nec mirum eſſe debet cuiquam, Canonicos vi ſuarum poſſeſſionum primas obtinere in Regimine Reip. cùm hæc ὑπεροχὴ Politica in ea Provincia ſemper innexa fuerit eorum Beneficiis, quæ hac in parte poſſunt conferri illis Bonis Eccleſiaſticis quæ in Germania *immediata* dicuntur, quorum etiam multa poſſidentur ab Euangelicis, qui inde Principatum obtinent in ſuis ditionibus, & ſub titulis Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Prælatorum, Capitulorum &c. membra Imperij reputantur, ac in Comitijs Imperij jus ſuffragij habent. Nihil verò tale pertinuit unquam ad bona illa *mediata* Monialium, Marianorum Equitum & Johannitarum, quæ nunc cedunt Ultrajecti Reformatis; ut vi illorum bonorum à ſe nunc poſſeſſorum, nihil poſſint ſibi arrogare in Rep.

Quæ verò de uſu parili & analogo ſolent huc adferri, ſunt valdè longè petita. Nihil enim analogiæ video majoris inter genus vitæ eorum qui hodie utriuſque Balliviæ Præbendas obtinent Ultrajecti, vel earum Virginum Nobilium piarum & honeſtarum, inter quas beneficia quondam Monialium ſolent diſtribui, & inſtituta vel Mariano-

rum ac Johannitarum Pontificiorum, vel Monacharum Eccleſiæ Romanæ, quam inter diem & noctem, aut ignem & aquam. Nihil etiam analogum poteſt fingi in formali cultu religioſo Reformatorum, illi profanæ Spiritualitati Canonicorum Pontificiorum, cujuſmodi modò deſcriptam vidimus à Tileno, & quam Capitulares Ultrajectini jure merito ex Salutis ſuæ ſtudio rejecerunt & abdicarunt, ut ſub prætextu illius analogiæ bona Capitulorum Eccleſiæ Reformatæ deberi ſtatuantur, potiori jure quam bona Monaſteriorum, Balliviarum & Monialium, ſimiliter pridem cultui falſo, Idololatrico & ſuperſtitioſo conſecrata. Sed cùm bona Capitulorum duplicem olim uſum obtinuerint, alterum Spiritualem & Pſeudo-ſacrum, qui bonâ conſcientiâ retineri non potuit in Rep. Reformata, alterum Civilem & Politicum, in quantum deſtinabantur etiam ijs dignè & honeſtè ſuſtendandis quibus prima & potiſſima pars Regiminis Politici & adminiſtrationis Reip. in Provincia incumbebat, eò faciliùs hoc ultimo reſpectu potuerunt retineri, quod per id propiorem & majorem diſpoſitionem habebant ad ſui ſæcularizationem.

Manet igitur noſtrum hoc argumentum inconcuſſum; Si beneficia & Præbendæ utriuſque Balliviæ, Marianorum & Joannitarum ad S. Catharinæ, item Clauſtrorum earum quondam Monialium quæ *Domicellæ* dicebantur, & aliorum Monaſteriorum, ex diſpoſitione & Collatione Supremi Magiſtratus, ſibi etiam in ea tribuentis, citra ullum Antichriſtianiſmum, quæ olim fuerant Pontificis Romani, poſſunt à Reformatis bonâ conſcientiâ & abſque ſcrupulo poſſideri, etiam multo magis aſque ullo ſcrupulo juſto Conſcientiæ poterunt poſſideri Beneficia quinque Capitulorum, quæ ſæcularizari ac in illo ſtatu ſæcularizationis perpetuari & potuerunt & debuerunt; At verum prius, ut in confeſſo eſt apud omnes, & praxis quotidiana docet Ultrajecti; Ergo & poſterius: Ratio conſequentiæ hæc eſt, quod de ſimilibus ſimile debeat ferri judicium: nihilque hæc differant, niſi quod neceſſariò debuerint Capitula conſervari in Provincia, Ballivias verò & Monialium Clauſtra perennare voluerit Supremus Magiſtratus Reformatus, ut eorum beneficia uſibus privatorum merè Laicorum pro lubitu poſſet conferre, cùm penes ipſum fuiſſet illa penitùs diſturbare, aut eorum bona vel ad fiſcum deducere, vel uſibus pijs & ſacris Eccleſiæ aſſignare.

Ad

Ad hoc argumentum S. P. negat hæc bona aliorum Collegiorum, de quibus hîc ago, eſſe ejuſdem indolis cum bonis Capitularibus; & vult identitatem ſibi probari ex fundationibus: Sed ipſius eſſet diverſitatem quam urget, ex iiſdem fundationibus demonſtrare: Nam affirmanti incumbit probatio: nec magis illa quâ hæc Spiritualia eſſe, ſufficienter demonſtratum eſt. Negat illorum Collegiorum bona ab iis quę ea poſſident, bonâ fide & cum quieta conſcientia poſſideri; & ait ſe nunc taciturum de aliquo S. Catharinæ Præbendato, quem annumerat iis quos conviciosè appellat ledige verteerders iſtarum Præbendarũ; Sed Celeberrimi illius Conſultoris quem habet pro ſuo Protocollo, aliam mentem eſſe, ſuprà viſum: neque ſaltem hactenus cenſuræ præciſioris iſtius Theologiæ, quæ potius Phariſaica quam Chriſtiana dici debet, in illos alios Præbendatas & Præbendatos incurrerunt; an forte ex gratia quam Polyphemus Ulyſſi pollicebatur, quem ultimum ex ſociis volebat devorare, viderint prudentiores. Petit quomodo Celſiſſimus hujus noſtræ Provinciæ Præfectus, nec non Nobiles utriuſque ſexus, qui veniunt in participium horum bonorum, ſint accepturi iſtam eorum cur Canonicis comparationem: Sed peto potius, quo animo ſint omnes boni admiſſuri ſonticam protervíam ipſius, quâ aſſerit extra reatum non eſſe erga Deum, Eccleſiam, Supremum Regimen Provinciæ, Nobiles illos & Domicellas &c. harum Præbendarum in aliis Collegiis poſſeſſores; deſe Edelen en Jofferen etc. die deſe goederen in ledigheyt en weelde verteeren: Improbetur per me ubique petulantia & inertia: Sed tamen perſonalis abuſus poſſidentis, non evertit legitimam poſſeſſionem, & ſtultus perfectus fiet, ideſt S. P. qui ex modo minus convenienti quo quis re ſuâ utitur, concludit nihil ipſi juris legitimi in illam rem competere: Ac ſicut neſcio quid operæ publicæ exigat maledicus iſte homo à Nobilibus illis Virginibus Præbendatis Ultrajecti, niſi forte eas publicari velit, ita quæ modò dixi de bonis & nominibus iſtorum aliorum Collegiorum Ultrajectinorum, comparatè ad bona & nomina Capitularia, originis ſuæ reſpectu, à quibuſcunque demum poſſideantur, tam ſunt in propatulo, ut à nemine ſanæ mentis negari, multo minus refutari poſſint.

CAPUT SEPTIMUM.

Argumentum ſextum petitum à naturâ bonorum ad quinque Capitula pertinentium, quo oſtenditur ex illa nullum ſcrupulum poſſe moveri Conſcientiæ hominis Reformati.

ETſi abundè ſufficere poſſent firmandæ meæ ſententiæ de Quæſtione propoſita, quæ hactenus diſſerui, pergam tamen ulteriùs, & ita revellam ſcrupulos qui hîc poſſunt & ſolent moveri, ut nihil queat dubij ſupereſſe. Certè ſi Canonicorum Ultrajectinorum, quales nunc ſunt, poſſeſſio eſt vitioſa in foro conſcientiæ, ideo vitioſa erit, vel quoniam ea eſt iſtorum bonorum natura ut à merè Laicis, licet cæteroquin pijs & probis, ac genuinis veræ Eccleſiæ membris, nequeant poſſideri; vel quia nefas ſit Reformatis ea poſſidere collegialiter ſub nominibus & titulis ſub quibus olim in Papatu poſſidebantur; vel quia non liceat talem poſſeſſionem certo pacto pretio conſequi & redimere; vel quia denique modus & formula juramenti ſub quo hæc poſſeſſio debet adiri pugnet cum boni viri officio; At horum quatuor neutrum verum eſſe, adeoque legitimam omnino remanere hanc poſſeſſionem Canonicis Ultrajectinis, per partes facilè demonſtrabo.

Incipiamus à primo, & oſtendamus nihil ineſſe illis bonis, quominus bonâ conſcientiâ ab homine Reformato, extra Sacra conſtituto, queant poſſideri, quomodo hodie à D. D. Canonicis poſſidentur; Si quid enim huic obſtat poſſeſſioni, eſt quia ſunt vel ſaltem dicuntur eſſe bona Eccleſiaſtica, Deo ſemel conſecrata, Chriſti ipſius Patrimonium conſtituentia, ab exercitio Officij ſacri, cujus gratiâ data ſunt Eccleſiæ, inſeparabilia, animarum curæ ex pia & devota Donatorum intentione deſtinata, à qua recedere nefas ſit ex religione quæ ſupremis hominum voluntatibus debetur; adeoque poſt Reformationem ſolis Eccleſiæ Reformatæ Miniſtris ſuſtendandis aliiſque ejus generis piis uſibus deſtinanda. Nolim hîc morari inſolentem admodum, ne dicam impiam, nomenclaturam iſtorum bonorum, quâ *Chriſti Patrimonium* appellantur: Nam licet ita ſoleant quandoque

doque loqui Pontificii, & nuper adhuc Archiepiſcopus Senonenſis, in ſua Philippica ſanguinaria adverſus Galliæ Reformatos, ita de ſuis fundis Pſeudo-eccleſiaſticis loquutus fuerit; pe tendo tamen authores Doctiſſimos *Conſ. Theol.* planè ultra lineas Orthodoxorum & Reformatorum Theologorum proceſſiſſe, cùm Idolothyta Pontificia, de quibus hîc controvertitur, iſto nomine auſi ſunt inſignire; de quo nolim hîc repetere quæ olim ſcripſi *in Theol. Parad. Faſc.* §. 36. Sanè deberet exinde toti Provinciæ Ultrajectinæ nomen tribui *terræ ſanctæ*, quæ niſi nudis pedibus ſit calcanda; cum à ſanctis, ſi Deo placet, fundationibus, tota illa Provincia vulgò imò ab ipſo S. P. non ſemel, de Sticht, appelletur. Satis mihi eſto demonſtrare quod hæc omnia quæ de iſtis bonis dicuntur vel finguntur, non poſſunt obſtare legitimæ huic quam defendo poſſesſioni, vel ullâ ratione hodiernorum poſſesſionem gravare.

Nam ſi poſſeſſio iſtorum bonorum eſſet inſeparabilis ab exercitio Officii Sacri & Spiritualitatis, cujus gratiâ olim data fuerunt, non poſſent elocari alijs Colonis quam qui eſſent Eccleſiæ Miniſtri, nec eorum fructus & reditus ab aliis conſumi; Etenim ſi radix ſancta eſt & ſpiritualitatis ſolo tam altè defixa ut ab eo ſeparari non poſſit; rami utique & fructus profanari contactu & uſu laicorum & ſæcularium non poterunt. Id verò quam per ſe ſit abſurdum, nemo non videt; Neque poterit unquam defendi imaginaria hæc iſtorum Bonorum inſeparabilitas à Spiritualitate & exercitio ſacri alicujus Officij in Eccleſia, (quam nequidem Papiſtarum Canoniſtæ rigidisſimi unquam ſomniarunt,) quin ſtatuantur Ill. ac P. P. Ordines Provinciarum Fœderati Belgij publicè vendendo Bona Eccleſiaſtica, unà per turpem Simoniam vendidiſſe ſacras functiones & ſpiritualia Miniſteria quæ in Eccleſia debent exerceri; imò hodiernos eorum poſſeſſores ex juſto titulo civili, debere eo ipſo ſe pro Eccleſiæ Miniſtris gerere, vel ſuæ poſſesſioni propter illam inſeparabilitatem renunciare.

Certè nequidem ſenſu Pontificio bona hæc temporalia, Deo ſacra vel conſecrata, accuratiùs loquendo, dici poſſunt. Audiamus rerum ſacrarum definitionem, apud Juſtinianum, *Inſt. de rer. diviſ.* §. 8. *Sacræ res ſunt, quæ ritè per Pontifices Deo conſecratæ ſunt, velùti ædes*

ſacræ & donaria quæ ritè ad Miniſterium Dei dedicata ſunt, quæ etiam per noſtram conſtitutionem alienari & obligari prohibemus; exceptâ causâ redemptionis captivorum. Certum autem eſt bona Canonicatuum nullo Pontificio ritu dedicata & conſecrata fuiſſe; Hinc Giphanius celebris Ictus, vult notari *hoc loco diſcrimen inter res ſacras & bona Eccleſiæ; hæc enim* (inquit) *non ſunt ſacra & proinde propriè non ſunt nullius, ideſt, alienari & obligari poſſunt.* Et Gloſſa Juris Canonici *ad reg. 51. de R. I. in 6. Bona Eccleſiæ non dicata vel conſecrata, benè tranſeunt ad humanos uſus. Etenim ſervi Eccleſiæ venduntur vel donantur etiam laicis ad ſerviendum;* Cur verò idem non obtinebit in fundis & prædiis? Nec dubium quin Ambroſius hoc reſpectu diſtinguere voluerit inter *Baſilicas* quas ad illicitum cultum tradere recuſabat, etiam Imperatori mandanti, & *agros Eccleſiæ;* ut hos libenter concederet, illas negaret, *epiſt. 32. Si tributum petit, non negamus: Agri Eccleſiæ ſolvunt tributum; Si agros deſiderat Imperator, poteſtatem habet vindicandorum, nemo noſtrum interuenit;* & paulò poſt; *Solvimus quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Tributum Cæſaris eſt, non negatur; Eccleſia Dei eſt, Cæſari utique non debet addici* &c. Et qui norunt quos ritus ſoleant Superſtitioſi adhibere in conſecratione & dedicatione templorum, calicum, crucium, paramentorum, veſtium, imaginum, ſatis percipere poſſunt, prædia & temporale Beneficiorum ac Canonicatuum conſecrationi & dedicationi obnoxia non eſſe.

Falſum quoque eſt Præbendas Ultrajectinas *animarum curæ* fuiſſe deſtinatas, vel ex rei veritate, vel ſenſu Pontificio: Nam prius quod attinet, cùm ex rei veritate omnia Pſeudo-Eccleſiaſtica bona in Papatu, in quantum cultui Superſtitioſo & Idololatrico fovendo, promovendo, exercendo, conſervando, fuêre deſtinata, non tam ad animarum curam, quam ad earum perniciem & ruinam ſpectaverint, non putem ulla eorum rectè poſſe dici fuiſſe curæ animarum conſecrata. Poſterius quod ſpectat, ut nota eſt lippis & tonſoribus diſtinctio Beneficiorum in *Curata & non Curata*, quæ & *ſimplicia* appellant, ita conſtat poſterioris ordinis eſſe Præbendas Canonicorum. Hoc dicat pro me Duarenus celebris Ictus, hanc materiam tractans ex profeſſo *lib. 2. de Sac. Eccl. Miniſt. ac Beneſ. cap 8. Inter beneficia ſimplicia, quæ nec titulum dignitatis habent, nec curam animarum, primum gradum tenent Canonicorum Præbendæ;*

bendæ; *Nam ea majoris cujuſdam dignitationis ſplendoriſque exiſtimantur quam cætera, propter jus ſuffragij quod habent in Collegio honoratiſſimo.* Hinc eſt quod in Inſtrumento Pacis Monaſterienſis *art.* 5. §. 4. ſancitur ut in Capitulis Proteſtantium, potiſſimum *Nobiles, Patricij, Gradibus Academicis inſigniti*, admittantur, ideſt tales perſonæ quæ ſint capaces Deputationis ad *conventus Imperiales* & ſeſſionis ac ſuffragij in illis, ut patet ex §. 6. Et ſuperiori capite vidimus eos qui Canonicos Monachis & Regularibus volunt annumeratos, eo ipſo illis abrogare Curam animarum.

Quin ut quinque Capitulorum Ultrajectinorum bona & beneficia hactenus ſimplicia dici debent, quod non ſint Curata, ſive curæ animarum deſtinata, ſic etiam omnia beneficia Curata in Provincia Ultrajectina, qualia erant Epiſcopales omnes reditus, nec-non Parochialia bona & Capellaniæ ac Vicariatus Eccleſiarum Parochialium, partim Ordines, partim Ampliſſ. Urbis Magiſtratus occupant, iiſque applicant uſibus quos ipſis lubet pro ſua Conſcientia & Prudentia. Ut hic mirari ſubeat præpoſterum acumen virorum quorundam aliàs Eruditiſſimorum, qui inde pertendunt fuiſſe Beneficijs Canonicorum Ultrajectinorum annexam ſub Papatu curam animarum, quod multæ eorum fundationes dicantur factæ à ſuis authoribus *in remedium animarum ſuarum*; quaſi verò illarum fundationum authores hos Canonicos delegiſſent in ſuos Paſtores, & animas ſuas ac ſuorum prædeceſſorum eorum curæ & inſpectioni commiſiſſent, cùm volebant talibus dotationibus mereri apud Deum, & redimere pœnas peccatis ſuis aut ſuorum debitas, vel in hac vita vel in Purgatorio; Nec dubium, quin ſi relegerentur fundationes & dotationes Monaſteriorum quorumlibet, tam maſculini quam fœminini generis, quibus tamen incumbere animarum curam nemo ſanus dixerit, deprehenderentur factæ pariliter ſub ea vel ſimili formula, ad Dei cultum, in remedium animarum, ad orationes jugiter fundendas Deo pro fundatoribus & prædeceſſoribus eorum &c.

Parum autem faciet ad rem quod dicatur Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. Capitulis & Canonicis curam animarum demandaſſe; cùm nunquam Ultrajecti, nequidem ſub Papatu, Conciliabuli illius decreta obtinuerint; Et quamvis quædam Capitulorum Beneficia habeant *titulum dignitatis*, ut v. g. Archidiaconi, Archipresbyteri,

teri, Primicerij, Decani, per id tamen non fiunt Beneficia Curata; Nam etiam Abbatum, Archimandritarum, Cœnobiarcharum, Priorum, Balliviorum, nomina, ſunt in Papatu nomina dignitatum, nec tamen ideo Beneficia eorum *Curata* ſtatui poſſunt. Quod ſi Concilium Tridentinum aliquam animarum curam videtut Capitulis tribuere, nominatim Archidiaconis, ea non eſt propriè dicta, nec juriſdictionis interioris, quæ in eo ſita eſt juxta Tholoſanum *lib.* 17. *Synt. cap.* 3. *n.* 2. quod *is qui beneficio præficitur tenetur ſacramenta præbere certis perſonis, nempe parochianis* ſive plebi *ejus loci, item prædicare, proponere verbum Dei, confeſſiones audire* &c. ſed impropriè & catachreſticè ſic dicta, ac prout *ibidem n.* 5. Tholoſanus explicat, *reſpectu curæ juriſdictionis contentioſæ ſeu forenſis, quæ beneficiis quibuſdam annectitur. Hujuſmodi*, inquit, *competit viſitare, procurationes recipere* &c. Horum verò pleraque tam parum ſunt de formali conceptu curæ illius animarum quæ ex inſtituto divino legitimis Eccleſiæ Miniſtris incumbit, ut etiam per inſtumentum Pacis Monaſterienſis *art.* 5. §. 6. Capitulis Auguſtanæ Confeſſionis, jura *Deputationum*, *Viſitationum*, *Reviſionum* &c. integra relinquantur.

Neque item verum eſt bona Capitulorum Ultrajectinorum fuiſſe ſub Papatu merè Eccleſiaſtica, ut ſimul non habuerint uſum ſuum Civilem & Politicum, cujus gratiâ poſſint retineri & poſſideri à Reformatis, citra reſpectum ullum ad eorum ſpiritualitatem vitioſam. Etenim cùm libuerit Cæſaribus & Regibus Capitula, maximè immediata, inſtituendo, illis unà conferre *territorialem Poteſtatem*, & adminiſtrationem Politicam Reip. vel ex toto vel ex parte, neceſſariò concedendum eſt, hæc ipſa bona illis etiam conceſſa fuiſſe, non tam in mercedem aut honorarium penſi ſui vel ſacri vel ſuperſtitioſi, ex eo capite quod operarius ſit dignus ſuâ mercede, nec debeat obligari os bovis triturantis, quam & potiſſimum partim in adjunctum & ornamentum, partim in fundamentum & objectum illius Politicæ Poteſtatis & Juriſdictionis ſæcularis, quam illis aſſignare è Republica fore arbitrabantur. Cùm igitur etiam alicujus Poteſtatis Politicæ gratiâ hæc bona ſint collata Capitulis Canonicorum, imò cum in confeſſo ſit, nec Epiſcopos nec eorum Capitula, quatenus perſonæ ſunt Eccleſiaſticæ, *territorium* habere, ut docet Duarenus *lib.* 1. *cap.* 4.

juxta illud Hieronymi *ad Nepot. Epiſcopi ſciant ſe ſacerdotes eſſe non dominos*, hinc ſequitur ea bona non eſſe ſtatuenda merè Eccleſiaſtica, quæ ab Eccleſiaſticis quidem poſſidentur, non tamen quà ſunt Eccleſiaſtici, vel *Sacerdotes*, ſive Miniſtri Eccleſiæ, *ſed ut Duces, Comites ac Domini*, inquit *ibidem* Duarenus. Ideo etiam memini Canonicos Lugdunenſes vulgò ſe vocitare Canonicos & Comites Eccleſiæ Lugdunenſis; & Stephanus Paſquierius *lib.* 3. *des Recher. cap.* 37. monet ipſos Reges Galliæ ex ſolo ſuæ Coronæ titulo, eſſe Canonicos in pluribus Eccleſiis, ut in Andegavenſi, Cænomanenſi, Turonenſi ad S. Martinum, Pictavienſi ad S. Hilarium; quod eſt revera eſſe **Dom-Heer**/ ut Belgæ loquuntur, illis in locis. Huc autem plurimum facit quod habet Confeſſio Auguſtana, §. *de Poteſtate Eccleſiaſtica*; *Si quam habent Epiſcopi Poteſtatem gladii, hanc non habent ut Epiſcopi ex mandato Euangelij, ſed jure humano donatam à Regibus & Inperatoribus ad adminiſtrationem Civilem ſuorum bonorum: Hæc interim alia functio eſt quam Miniſterium Euangelij.* Quis ergo dubitet illam politicam functionem, cum illis ipſis bonis quorum adminiſtrationi Civili deſtinatur, quæ tam diſtat à Miniſterio Euangelij quam ſolum à polo, imò quæ Miniſtro Evangelij quà tali nequit convenire, ita potuiſſe ſeparari in Capitulis & Canonicis ab eorum Spiritualitate & Officio Pſeudo-Eccleſiaſtico, ut illa ſua bona, & Politicam circa ea & ex illis functionem, retinere potuerint, rejecto Pſeudo-Eccleſiaſtico Officio, & omni ſpiritualitate Pontificiâ penitus repudiatâ?

Adhæc cùm ſit vulgò recepta in Papatu bonorum Eccleſiaſticorum diſtributio in *temporalia* & *ſpiritualia*, de qua agit Duarenus *lib.* 2. *cap.* 2. utique illa de quibus nunc agimus non poſterioris, ſed prioris ordinis cenſeri debent: Tenporalia verò bona Eccleſiæ poſſe poſſideri ab hominibus laicis, & extra omnem ſpiritualitatem poſitis, nec inficiantur ipſimet Pontificij; & nominatim de *Præbendis*, aſſerit & probat Tholoſanus *lib.* 15. *Synt. juris, cap.* 23. *n.* 8. *quod cum in fructibus conſiſtant propriâ naturâ, quorum & laici capaces ſunt*, eo ipſo poſſint quoque obtineri ac poſſideri à laicis, etiam militibus & ab omni functione Eccleſiaſtica remotiſſimis; nam ibi de talibus diſputat Tholoſanus. Et notius eſt quam ut debeat probari, jure etiam Pontificio multos Canonicatus, Prioratus, & ſimilia beneficia, titulo Commendæ,

mendæ, Penſionis, alio-ve ſimili, poſſe poſſideri ab hominibus non Sacerdotibus, aut *in ſacris*, ut ajunt, conſtitutis. Et foret valdè mirum hæc bona Ultrajectina plus ſanctimoniæ acquiſiviſſe poſt abjectum & exterminatum Papatum quam ante, ut cùm ſub Papatu potuerint etiam à Laicis, ſive non Sacerdotibus & Presbyteris, poſſideri, hodie à ſolis Eccleſiæ Miniſtris poſſideri debeant: aut tantundem non licuiſſe Magiſtratui Reformato Eccleſiæ circa hæc temporalia, ac licet Papæ circa eadem inter Pontificios, juxta quorum pleroſque poſſunt bona temporalia Eccleſiæ alienari & ſæcularizari accedente authoritate Pontificiâ; prout revera ex temporali Eccleſiæ vivunt omnes officiarij Papæ, Cardinalium, Epiſcoporum, etſi ut plurimum ſæculares & laici.

Quid quod iſta bona nonniſi abuſivè & catachreſticè Eccleſiaſtica dici poſſunt? Si quidem nihil verè & propriè Eccleſiaſtici & ſancti reperitur in Pſeudo-ſacris Miniſteriis & tota Spiritualitate cultus Pontificij & ſuperſtitioſi, ad quæ olim ex primæva inſtitutione & Donatorum intentione ordinabantur: Cultus enim verè Eccleſiaſticus à Deo præſcriptus in ſuo Verbo, nihil habet commune cùm celebratione Miſſarum pro vivis & mortuis, officijs mortuorum ad eorum animas ex Purgatorio liberandas, invocatione publica Sanctorum demortuorum, jugi conſervatione diurna & nocturna multorum luminarium in eorum honorem, officij quotidiana recitatione, Litaniarum & ſimilium quiſquiliarum decantatione perpetua, & boatu diurno nocturnoque in Templis; prout tali cultui hæc bona fuerunt à Superſtitioſis hominibus olim aſſignata. Homines verò illi cultui deſtinatos ſub variis nominibus, æquè ignotis & tacitis in Sacra Scriptura, ac nomina & officia Papæ, Cardinalium, Datariorum, Exorciſtarum, Sacerdotum Miſſificorum &c. nemo neſcit collocandos eſſe extra ſphæram Miniſteriorum verè & propriè ac univocè Eccleſiaſticorum, quæ ad ædificationem corporis Chriſti ab ipſo-met inſtituta fuerunt.

Et abſit à nobis, ut dicamus *Bona Eccleſiaſtica*, nedum quod longè eſt abſurdius, ac ipſimet Chriſto contumelioſius, *Patrimonium Chriſti*, cùm illius regnum non ſit ex hoc mundo, illas opes Cleri Pontificij, quæ potiùs dici debent Chriſti ac Chriſtianiſmi opprobrium, ma-

la & peſtes ipſius Eccleſiæ, & ut quondam loquebatur Joachimus Calaber, loco aliàs à me relato, *ſpinæ ex quibus contexta & complicata eſt corona quæ caput Chriſti in corpore myſtico Eccleſiæ vehementer pungit & vulnerat*; Notum eſt jam olim id fuiſſe vulgatum, Religionem, ſive Pietatis, ſed præpoſteræ, ſtudium, peperiſſe Opulentiam Eccleſiæ, ſed filiam matrem devoraſſe; Notum, tunc fuiſſe Epiſcopos aureos, ubi ſacri calices erant lignei, ſed calicibus aureis factis, Epiſcopos ligneos evaſiſſe; Notum Ammiani Marcellini, Scriptoris Ethnici, judicium de faſtu Epiſcoporum Romanorum, ex *oblationibus matronarum* diteſcentium, unde *procederent vehiculis inſidentes, circumſpectè veſtiti, epulas curantes profuſas, adeo ut eorum convivia regales ſuperarent menſas; qui eſſe poterant beati revera, ſi magnitudine urbis deſpectâ quam vitijs opponunt, ad imitationem antiſtitum quorundam provincialium viverent, quos tenuitas edendi potandique parciſſimè, vilitas etiam indumentorum & ſupercilia humum ſpectantia, perpetuo Numini veriſque ejus cultoribus ut puros commendant & verecundos*; *lib.* 27: *Hiſt.* §. 2. Notum quod ubi Conſtantinus cœpit paulò liberaliorem ſe præbere Eccleſiæ Romanæ, illud juxta nonnullos in aëre auditum, juxta alios parieti Laterani inſcriptum fuerit, *Hodie venenum infuſum eſt Eccleſiæ*, ut notat ac refert ex Hermanno Gigante, Malleolo & Nauclero, diligentiſſimus Hoſpinianus *lib.* 5. *de Templis*, *cap.* 4.

Hinc eſt quod immenſas illas Opes Eccleſiæ Romanæ, quas quo jure quâ injuriâ mille malis artibus corradere, augere & conſervare ſemper ſtuduerunt myſtę Meretricis magnę, quę purpurâ amicitur & in poculo aureo non tam vinum quam virus ſuarum abominationum ſolet propinare, ſemper pij quilibet, & ſeriam Reformationem anhelantes, improbarunt & deteſtati ſunt. Thomas Waldenſis apud Bellarminum *lib.* 1. *de Clericis, cap.* 26. poſt Concilium Conſtantienſe tribuit Wicleffo quod ſtatuerit *non licere Clericis habere ullas poſſeſſiones, & peccaſſe tam qui eas donaverunt Eccleſiæ quam qui eas receperunt*. Quantum damni & mali intulerint Eccleſiæ illa falſò ſic dicta Bona Eccleſiaſtica, jam ante tempora Reformationis noſtræ, annis abhinc 250. lamentabatur Nicolaus Clemangis, Archidiaconus Bajocenſis, *lib. de corrupto Eccl. ſtatu, cap.* 3. *Vbi paulatim ex divitiis rerumque ſecunda-*

rum affluentia luxus & inſolentia in Eccleſiam ſubière, tepeſcere ſenſim cepit religio, virtus hebeſcere, ſolvi diſciplina, charitas minui, tolli humilitas, paupertas opprobrio eſſe, ſimulque parſimonia; Sed ut pompis & luxui res ſubeſſet, avaritia crebreſcere, quæ non diu ſuis contenta finibus, aliena non modo ambire, ſed rapere & invadere moliretur, inferiores opprimere, & tam jure quam injuriâ ſpoliare. Nec opus eſt huc omnia conferre quæ ad hanc rem dici poſſent, cùm ea ſit in propatulo; adeo ut tandem ipſum Angliæ Parlamentum, cùm exiſtimaret opes nimias nimiamque in Rep. poteſtatem Politicam ſui Cleri, perniciem eſſe Eccleſiæ, & hanc omnem ei abrogavit, & illius prædia & opes fiſco addixit & publicè diſtraxit.

Quinetiam in ipſo Papatu eo uſque fœtuerunt ab ęvo immenſę illę opes Eccleſiaſticæ tenerioribus quibuſdam Conſcientiis, ut propterea alij paupertatem Monachalem opimis Beneficijs prætulerint, alij hanc eandem ſuis Epiſcopis & Paſtoribus ſuadere conati fuerint. Nec poſſum quin hac occaſione referam quid mihi contigerit degenti Trajecti ad Moſam anno hujus ſæculi 34. Tum enim venit ad me Leodico, inſtructus commendatitijs literis D. Luſcij D.D. Ordinum Generalium nomine illic reſidentis, quidam Nobilis vel Hannonius vel Arteſius, ex familia Daſſigniorum, veteri & nota, Pontificiæ cæterà communionis, qui profitebatur ſe hactenus conflictatum fuiſſe cum multis Jeſuitis alijſque Doctoribus Pontificijs, quos conſuluiſſet ſuper hoc gravamine Conſcientiæ ſuæ, quo exiſtimabat Præſules, Epiſcopos & univerſum Eccleſiæ Clerum, teneri ad illam ſtrictam & Apoſtolicam paupertatem, quam Monachi profitentur, adeoque debere, acquieſcendo in ſolis decimis, abdicare immane illud Temporale, quod eſſet illi & toti Eccleſiæ origo tot malorum; illo potiſſimum tempore, quo flagrabat Germania bello ferali quod pro repetendis Bonis Eccleſiaſticis ſui Catholici ſuſceperant. Cùm autem Jeſuitæ & Doctores, quos in ſcriptis de ſuo ſcrupulo conſuluerat, nec enim erat ineruditus, nihil aliud reſpondiſſent quam ſententiam eſſe hæreticam, in Wicleffo jam olim damnatam, & faventem Proteſtantibus Bonorum ſacrorum direptoribus, conſilium cœperat me adeundi, & mecum de re totâ fuſiùs conferendi. Et quoniam ſpem faciebat, plurimum inſerviturum in Hannonia, Arteſia & Flandria,

dria, abalienandis multorum animis à Cultu & Reverentia Cleri, ſi ſua ſententia diſpaleſceret, & ſuis nixa firmamentis prodiret in publicum, ad illius inſtantiam & ſub ejus perſona, quamvis anonymôs, emiſi tractatulum inſcriptum Gallicè, *La voix du peuple & de Dieu, ou treſhumble & Catholique Remonſtrance à Meſſieurs du Clergè*, quo ex Theologię Pontificiæ principiis, quibus & ille ſemper in ſuo ſcrupulo nixus fuerat, oſtendebam Eccleſiæ Miniſtros, qui Levitico ordini & Apoſtolis Chriſti ſucceſſiſſe dicuntur, eo ipſo obligari ad omnem prædiorum & territoriorum poſſeſſionem abdicandam, eamque paupertatem profitendam & ſectandam, quam auſteriores Monachi Apoſtolicam eſſe pertendunt: laudato ad id inter cœtera teſtimonio Hieronymi & Bernardi, *Clericus qui habet partem in terra, non habebit partem in cœlo.* Videatur Epiſtola Hieronymi *ad Nepot.* ad quam *n.* 41. Eraſmus hæc annotat; *Quod totâ hac epiſtolâ divus Hieronymus vult ſacerdotes eſſe pauperes opibus, divites doctrinâ & pietate, non ſatis convenit cum publica tempeſtatis hujus perſuaſione, quâ credunt Eccleſiam hiſce divitiis maximè & fulciri & ornari.*

Quamvis autem hypotheſes boni illius viri, non poſſent urgeri, niſi, ut vulgo loquimur, *ad hominem*, & in quantum ab ipſo Pontificio Clero admittuntur, revera tamen cùm Chriſtus ſuis præceperit theſaurizare non in terris ſed in cœlo; cùm ſuos Miniſtros emiſerit ad animarum piſcaturam, non ad immenſas opes comparandas; cùm navicula Petri ſit ſcapha piſcatoria, non navis mercatoria, nedum piratica; cùm ab ævo conſtiterit auro Eccleſiam deſtrui non ædificari, ut quondam Sulpicius Severus loquebatur; cùm ingraveſcentibus opibus Eccleſiæ R. unà & per eas omnes errores, quos deteſtamur, effuſi fuerint; non video cur *Bona Eccleſiaſtica* poſſint appellari opes illæ immenſæ, quæ potius mala Eccleſiaſtica, uti dixi, cenſeri debent, tam reſpectu ipſius-met Eccleſiæ Rom. quæ illis debet maximam partem ſuæ corruptionis; ut benè notavit olim Marcus Antonius de Dominis, cùm adhuc noſter eſſet, Pietatem & Veritatem in Papatu naufragium feciſſe ad hos duos ſcopulos, Opum & Honorum, Avaritiæ & Ambitionis; quam etiam reſpectu Eccleſiarum noſtrarum, quæ graves perſecutiones pati debuerunt à Pontificiis, tum ſtudentibus conſervationi illius ſui magnæ Dianæ quæſtus, illarumque ſuarum o-

pum

pum quibus malè metuebant à Reformatorumdoctrina, tum repoſcentibus nonnulla ex iſtis bonis quę Principes & Magiſtratus pro jure ſuo illis eripuerant. Unde natum ſit ultimum Germaniæ bellum, unde cœperit inclinare ſtatus antea tam florens Reformatorum inGallia, nempe à repetitione bonorum iſtorum in Principatu Bearnenſi, nemo eſt hodie qui neſciat.

Sed an *bona* diceremus Eccleſię, quæ non fuerunt tantum omnium in Eccleſia Ch iſtiana malorum cauſa & origo, ſed etiam quorum pleraque omnia nonniſi malis artibus & technis nequiſſimis corraſa & adhamata ſunt, ab iis quibus quæſtui ſolent eſſe animi ſimpliciorum ſuperſtitione capti? Malum illud jam incœperat tempore Hieronymi, adeo ut lege prohibendum fuerit Clericis & Monachis, qui incipiebant *hæredipetæ* fieri, ne hæreditates caperent. Verba Hieronymi *de vita Cleric. ad Nepot.* ſunt notatu digniſſima; *Pudet dicere; Sacerdotes Idolorum, mimi & aurigæ & ſcorta, hæreditates capiunt; Solis Clericis & Monachis hoc lege prohibetur, & prohibetur non à perſequutoribus, ſed à principibus Chriſtianis; Nec de lege conqueror, ſed doleo cur meruerimus hanc legem. Cauterium bonum eſt, ſed quo mihi vulnus ut indigeam cauterio? Provida ſeveraque legis cautio, & tamen nec ſic refrenatur avaritia: Per fideicommiſſa legibus illudimus; & quaſi majora ſint Imperatorum ſcita quam Chriſti, leges timemus, Euangelia contemnimus.* Et paullò poſt *ibidem* hæredipetas & captatores teſtamentorum ex Clericis ita deſcribit; *Audio præterea in ſenes & anus abſque liberis, quorundam turpe ſervitium. Ipſi apponunt matulam, obſident lectum, purulentiam ſtomachi & phlegmata pulmonis manu propriâ ſuſcipiunt: Pavent ad introitum Medici, trementibuſque labijs an commodiùs habeant ſciſcitantur; & ſi paululum ſenex vegetior fuerit, periclitantur, ſimulatâque lætitiâ, mens intrinſecus avara torquetur.*

Neque dubium eſt quin illo Edictorum Cæſareorum repagulo brevi ſublato poſt tempora Hieronymi, creverit captatio Clericorum, creverint quoque doli & fraudes eorum ad dotationes & fundationes multiplicandas; adeo ut debuerint etiam Principes & Magiſtratus Chriſtiani poſt multa ſæcula ejuſmodi Edicta revocare, & laicis interdicere ulteriora legata teſtamentaria ad pios uſus & in favorem Cleri.

Apud

Apud Polydorum Virgilium *lib.* 17. *Hiſt. Angl. legibus magnæ Chartæ ſancitum eſt* in Anglia, *ut nemini liceat dare prædia Collegiis Monachorum.* Quid hac de re Veneti, quid Carolus V. in hoc Belgio, quid ipſa Civitas Ultrajectina, ſuo Statuto facto anno 1484. die Mercurij poſt Oculi, ſanciverint, notius eſt quam ut debeat fuſiùs explicari. Nec dubium quin iſtarum Conſtitutionum à Magiſtratibus factarum, ad conſervanda familiarum quarumcunque Patrimonia, & impediendum ne ſub prætextu pietatis & devotionis ad Clericos & Eccleſiaſticos tranſirent, origo vera ſit adſcribenda fraudibus & artibus Cleri & Monachorum, jugiter inſidiantium bonis alienis, & viduarum ac orphanorum domos devorantium ſub prætextu prolixarum orationum.

Quare meritò Doctiſſimi Interpretes Belgæ *furta* commemorata Apoc. IX, 21. & exprobrata myſtis Babylonicis, interpretantur **de ontreckingen der erfeniſſen vande rechte erfgenamen tot haer Kloosteren** / abductionem & tranſlationem hæreditatum à legitimis hæredibus ad ſua Clauſtra. Et ideo Calvinus in *Quæſt. ad Anonym. de Offic. hom. Chriſtiani circa* Benef. *Papiſt.* inter ſua opuſcula, non ſolum *Decimarum* originem ut vanam rejicit, ſed pertendit omnes fundationes & dotationes Pſeudo-Eccleſiaſticas *errore* eſſe factas, ab hominibus *dolo* & *fraude* circumventis, & *ſub illicita conditione* Miſſarum & ſuffragiorum pro mortuis, adeoque ipſo jure vitioſas & *nullas* eſſe; Aſſerit *ingentes illos reditus Eccleſiæ Romanæ à ſuprema Sede uſque ad pauperrimam Capellaniam, corraſos eſſe fraudibus, furtis, rapinis, ſacrilegiis & pravis technis*; Urget axioma I Ctorum, quo ſtatuunt donationes *errore* factas non valere; Affirmat omnes donationes & dotationes Beneficiarias, non aliud *habere fundamentum quam errorem*; *Nam*, inquit, *miſeri earum authores, ſibi ſunt imaginati quod non eſt; & plures eorum fuerunt eò deducti fraude ac circumventione.*

Nec ſatis poſſum hîc mirari, quod Viri Doctiſſimi agnoſcentes hæc bona pleraque malis artibus & rapacitate & avaritiâ Cleri acquiſita fuiſſe, *Conſ. Theo. p. 2. pag.* 235. pertendunt id nihil facere ad Quæſtionem, eorum poſſeſſionem in caſu conſcientiæ ſpectantem: Nam ſanè, ſi hæc poſſeſſio eſt illicita ex parte iſtorum bonorum, ideo fit quod hæc bona ſunt Sacra, Eccleſiaſtica, ipſum Chriſti Patrimonium conſtituentia;

ſtituentia; Atqui talia nequeunt eſſe, eo quod technis, rapinis, fraudibus, furtis, malis artibus, ſint acquiſita: Abſit enim ut Sponſæ Chriſti paraphernalia conſtent rebus furtivis, aut legitimum Chriſti Patrimonium, ſi quod habeat in terris, nonniſi malis artibus & rapinis comparari & augeſcere debeat. Fateor quidem non legitimari hodiernorum Canonicorum poſſeſſionem ex illo capite quod hæc bona malis artibus ſint comparata; Sed ſaltem cùm talia ſint, non poteſt inde vitiari illorum poſſeſſio quod Sacra & Eccleſiaſtica eſſe falsò dicuntur.

An *bona* iterum diceremus *Eccleſiæ*, &, quod tetrius adhuc eſt, *Patrimonium Chriſti*, bona quæ de facto fuerunt addicta, devota, conſecrata, Idolo, & cultui ſuperſtitioſo ac illicito, ut revera non tam Eccleſiaſtica, quam *Idolothyta* & Antichriſtiana ſtatui debeant; ut ſuo loco ex Scriptura demonſtravi, in ijs ipſam quaſi carnem & ſubſtantiã magnæ Meretricis ſitam eſſe: Calvinus *l.c.* nempe *pag. opuſc Gall.* 123. ita loquitur; *Qui hæc bona Clero reliquerunt, expectaverunt ut hoc ſacrilegio Miſſæ, & aliis precibus, aut potius ſuſurris magicis, animæ ſuæ ex carcere Purgatorij liberarentur; quoniam in Schola Papæ edocti fuerant, bifariam poſſe elui peccata quibus in ſuis conſcientiis premebantur; nempe aut ſuſtinendo pœnam illis denunciatam in judicio Dei, aut eam per ſatisfactiones redimendo. Pœna erat aſſari ad ignem Purgatorium; Satiſſaciendi modus erat jugiter ingerere in ventrem Sacerdotum & Monachorum, donec dicerent Satis eſt. Hoc eſt*, inquit ad Clerum, *initium acquiſitionum veſtrarum, hæc eſt quoque ratio per quam ad eum accreverunt gradum in quo nunc ſunt: adeo ut revera dici poſſit, vos nequidem pedem terræ poſſidere quem acceptum ferre Purgatorio non debeatis.* Et Illuſtris Pleſſæus *lib.* 3. *de Euch. cap.* 10. obſervat quod jam inde ab anno 700. fundationes ex Purgatorio ſint enatæ, & factæ ſub ordinaria hac clauſula, *Damus, legamus &c. hæc vel illa pro ſalute & redemptione animarum noſtrarum & prædeceſſorum ac ſucceſſorum noſtrorum.* Et infans ſit in hiſtoria Eccleſiaſtica qui neſciat quanta colluvies errorum cum Antichriſti revelatione in Eccleſiam irruperit ab anno Chriſti 600. quamvis illo ſint recentiores Capitulorum & Canonicatuum fundationes, quas Paſquierius *lib.* 3. *des Recerch. cap.* 5. non putat altiùs quam à tempore Caroli Magni repetendas. Certè fundationes & dotationes Beneficiorum, non poſſunt eſſe melioris commatis quam Templa ipſa, vulgò Eccleſias vo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

cant, quibus quadantenus alligantur; jam verò *omnia Templa*, ante Reformationem conſtructa, Idolothytis annumerat Doctiſſimus Voetius *Diſput. de Idolol. ind.&part.* eo uſque ut illa mallet deſtrui quam retineri, nec velit ea unquam retineri tanquam *rem ſacram aut conſecratam*, quia videlicet id tanquam Deo conſecratu m nequit haberi à Reformatis, quod Idololatriæ deſtinatum fuit. Quid ergo? Si eouſque Idolothyta ſunt Templa Pontificiæ Idololatriæ quondam deſtinata, ut non poſſint à nobis uſurpari tanquam *res ſacræ & conſecratæ*, quanto magis erum Idolothyta bona cultui Idololatrico, illicito & ſuperſtitioſo fovendo & continuando illis in Templis deſtinata, ut nullo modo ab Eccleſia repeti poſſint, ceu ſibi debita, tanquam res ſacræ & conſecratæ? Et cùm Idolothyti rectè dignoſcendi hanc inter alias notam proferat *ibid.* Vir Celeberrimus, ſi videlicet illius *authores atque uſurpatores, intenderint Idololatriæ & ſuperſtitionis promotionem atque incrementum*, quomodo poterunt eximi Beneficiorum Pſeudo-Eccleſiaſticorum fundationes ex Idolothytorum cenſu, cùm ex mera ſuperſtitione & errore factæ fuerint, & ad illam fovendam ac promovendam ex profeſſo deſtinatæ?

Ipſæmet fundationes Ultrajectinæ quæſo expendantur. Nulla eſt earum quæ formaliter aut eminenter hanc impiam & verè ſacrilegam formulam non contineat, quam modò ex Pleſſæo commemorabamus. Quid quæſo iniquius, quid magis oppoſitum Gratiæ Dei & Redemptioni noſtræ quæ eſt in Chriſto, quam hæc dari pro *peccatis eluendis*, pro *animarum remedio*, pro *redemptione animæ*, in *compendium animarum*, pro *luminaribus* in Eccleſia conſervandis, pro conſequenda *beatitudine æterna*, *ob emolumentum etiam ac remedium animæ prædeceſſorum*, ut paſſim videre eſt apud Hedam, cujus etiam loca pleraque video annotata ab Authore *Conſ. Theol. p. 2. pag. 209. & 210.*

Ac prout relegenti omnia Diplomata dotationum & donationum Eccleſiæ Ultrajectinæ apud Hedam extantia, nullum occurret, cui aliquid non inſit vitioſi, ſuperſtitioſi, erronei & Idololatrici, ſic nominatim anno 1050. Berta nobilis fœmina *ibid. pag.* 118. ita loquitur; *Humilio & dono caput meum liberum ad altare S. Martini*; Item, *Si quis hanc ingenuitatis cartam infringere tentaverit, vel molitus fuerit, iram Dei omnipotentis & Sanctæ Dei genitricis Mariæ & Stæ Crucis Sanctique Mar-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

tini, incurrat & omnium Sanctorum; Et excommunicatus & anathematizatus ſit ex parte Patris & Filii & Spiritus Sancti & Sanctæ crucis & S. Mariæ & S. Michaelis & omnium Angelorum & Archangelorum & S. Petri &c. Hæc ſanè & ſimilia ſatis oſtendunt has fundationes non ſacras & verè Eccleſiaſticas fuiſſe, ſed vitioſas, erroneas, ſuperſtitioſas & Idololatricas, adeque juxta Calvinum factas ſub conditione illicita, & per conſequens ipſo jure nullas. Ut debeant contra Solem velle loqui, qui negarint Idolothytis has dotationes eſſe annumerandas, eò quod illis temporibus nondum corruptio Eccleſiæ Romanæ ad ſummum perveniſſet: Nam quamvis in externa illius communione remanerent adhuc multi viri pij & ſancti, qui nec re nec opere invaleſcenti Superſtitioni ac Idololatriæ aſſentiebantur, à talibus tamen non proficiſcebantur fundationes & dotationes Eccleſiarum & Monaſteriorum ad redemptionem Miſſarum & Suffragiorum pro mortuis ex Purgatorio liberandis,&ad conſequendam ac promovendam remiſſionem peccatorum & vitam æternam; Exemplo ſit nobis Petrus Waldo, vir ditiſſimus, à quo & *Waldenſes* poſtea dicti fuerunt, (ut plerique opinantur) quem legimus ſuas opes diſtribuiſſe pauperibus, unde facti *pauperes de Lugduno*, Veritatis ſectatores & propugnatores egregij, non verò in tales fundationes profudiſſe.

Quod ſi harum fundationum una aut alia meminit etiam converſionis Gentilium per Clericos Ultrajectinos, vel Cultus Dei ab ipſis exercendi & conſervandi, non ſunt per id minus vitioſæ. Nam eam intelligunt converſionem, qualem jam tum cœperat urgere Sedes Romana per ſuos Apoſtolos, Bonifacium & Auguſtinum, tum in Germania, tum in Anglia; quâ non tam Ethnici ad Chriſtum adducebantur, quam errores & tyrannis Romanenſium, inter Chriſtianos ſimpliciores inducebantur. Ita etiam hodie grandes ſumptus fiunt in Papatu ex directione Congregationis *de Propaganda fide*, ad converſionem infidelium, cui vacare videri volunt omnes *Miſſionarii* qui inter Proteſtantes clam palam vagantur, ad eos ſeducendos & ad Papiſmum convertendos. Jam autem non Chriſto ſed Antichriſto & Idolo lucrifieri, qui per tales Miſſionarios propagandæ fidei deſtinatos à Pontifice, ad illius obſequium traducuntur, nemo noſtrum ibit inficias, & per conſequens Idolothyta eſſe quæcunque à multis zelotis in Papatu in talium

Miſſio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

Miſſionum ſumptus expenduntur & conſecrantur. Similiter cultus Divinus cui illæ donationes & dotationes deſtinari videntur, erat cultus Superſtitioſus, qui in cantillatione otioſa, in Officij recitatione, in Miſſarum celebratione, in Litaniarum ad Sanctos & precum pro mortuis demurmuratione, in luminarium multiplicatione &c. ſitus erat; & qualem mentes ſuperſtitione captæ per eam efficaciam erroris cujus meminit Paulus 2. Theſſ. 11, 11. Myſterij iniquitatem progreſſum & robur comitantem, unicè deperibant.

Vetuſtiſſimum Diploma eorum quæ habet Heda extat *pag.* 15. ſub nomine Dagoberti, qui cœpit regnare circa annum 631. Verum ſuppoſititium eſſe & ab otioſis Monachis gratis confictum, ut obſervatum etiam Doctiſſimo Buchelio in *ſuis notis ad Hedam*, tum ipſius-met lectio ſatis prodit, tum quod multa habeat minus convenientia illius Regis ingenio & perſonæ; Nam ſe reum peragit *Eccleſiarum Dei vaſtatarum & deſtructarum*, & dicit quod *raptus in ſublime divinæque majeſtati inter choros ſanctorum in habitu judicantis ſedenti præſentatus, à ſanctiſſimis Eccleſiarum patronis, pro rebus Eccleſiaſticis à ſe per rapinam diſtractis & conſumptis, graviter & conſtanter fuerit accuſatus, maximè à ſanctiſſima Dei genitrice Maria & beatiſſimis Petro & Paulo Apoſtolorum principibus, cumque conſcientiâ gravatus non auderet delicta defendere, ex arbitrio Præſidentis pœnæ fuit addictus; diuque cæſo & pœnis atrocibus confecto ſuccurrit tandem ſpecialis ſuus Patronus, Martyr Dionyſius, qui precibus ſuis inſtantis pœnæ delationem & pœnitentiæ tempus illi obtinuit*, ei imponendo per *modum pœnitentiæ ut ad honorem Dei & prædictorum Sanctorum* Eccleſiam conſtitueret; ad quod ait ſe voto obſtrinxiſſe, & *ſub certa ſpe remiſſionis & indulgentiæ peccatorum* ſuorum, *Eccleſiam in honorem Sanctæ Trinitatis & S. Mariæ perpetuæ virginis & Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli*, Wisburgi conſtruxiſſe. Quamvis autem credam hoc inſtrumentum Dagoberti fictum & falſum eſſe, tamen dubium non eſt quin fundationes ſeptimi illius ſæculi & ſequentium hoc ferè ſtylo communiter proceſſerint.

Sic apud Hedam *p.* 28. Carolus Martellus anno 728. profitetur ſe multa illîc commemorata dediſſe, *cogitans qualiter peccata poſſit abluere*, & hanc ſuam donationem ait factam *pro divino intuitu & animæ*

ſuæ remedio; & *pag.* 30. ait ſe dare *vero redemptione animæ ſuæ*, hæc & illa ſpectantia *ad Baſilicam quæ eſt conſtructa in honore Salvatoris Domini Ieſu Chriſti & beatæ Mariæ genitricis Dei*, &c. vultque illud ſuum donum proficere *omni tempore in augmentum pro remedio animæ ſuæ*. Sic Pipinus *pag.* 37. meminit anno 752. eorum *quæ per compendium animarum ad loca Eccleſiarum probantur indulta*; item villarum *Eccleſiæ S. Martini*, cui confirmat jura & privilegia à prædeceſſoribus ſuis collata, *ut mereatur ad* eorum *mercedem ſociari*; & vult ut *quicquid exinde Fiſcus ſuus poterat ſperare, in Luminaribus Eccleſiæ in perpetuum proficiat in augmentis*. Et Diplomate ſequenti confirmat quæcunque Pipinus ſuus avus & Carolus ſuus pater *donavit S. Martino*; idque *in Luminaribus ſeu in ſtipendijs Monachorum vel Canonicorum, qui ibidem Gentiles ad Chriſtianitatem convertunt*, &c. Eodem ſtylo eadem confirmabat Carolus Magnus circa annum 800 *ibid. pag.* 39. ac alio diplomate *pag.* 41. alia donabat *ad Baſilicam S. Martini*; ex eo quod, inquit, *ſi ex his quæ divina pietas nobis largiri dignata eſt, locis venerabilibus concredimus, hoc nobis ad æternam beatitudinem proculdubio pertinere confidimus*. Sic ejuſdem Caroli Privilegium relatum *pag.* 44. ſpectat Abbatis Sangermani Miniſtros hinc inde *tam ad Luminaria comparanda quam pro reliqua neceſſitate diſcurrentes*: Sic *pag.* 45. Ludovicus Pius Caroli filius, anno 825. præcedentia confirmat Rixfredo *Veteris Trajecti Eccleſiæ Epiſcopo quæ eſt conſtructa in honore S. Martini Confeſſoris vel cæterorum ſanctorum*, quò *præſul ipſius Eccleſiæ cum omni clero & populo ſibi ſubjecto alimoniam miniſtrare, & Luminaria in eadem ſede continuare, atque Gentiles, qui ad Chriſtianitatem convertuntur, alere & docere poſſit*; & ait ſe illa omnia ei Sedi confirmare *ob amorem Dei & reverentiam S. Martini*. Sic *pag.* 52. Lotharius anno 849. hæc omnia comprobat Eccleſiæ Trajectenſi *quæ eſt conſtructa in honorem S. Martini Confeſſoris & aliorum Sanctorum, ut in perpetuo tempore ad peragendum Dei ſervitium* (quale videlicet tunc obtinebat) *augmentum & ſupplementum fiat*. Eadem habet Ludovicus Rex Germaniæ, *ibid. pag.* 56. & *pag.* 57. Lotharius alter, ad reparandum damnum illatum per barbaros Eccleſiæ Trajectenſi *quæ in honore Chriſti confeſſoris Martini conſtructa eſſe dignoſcitur*, dat illi *Monaſterium* Bergh *in honore S. Petri conſtructum*, idque, inquit, *pro amore Domini Protectoris noſtri, ob emolumentum etiam ac remedium animæ avi noſtri Lutowici, & piæ memoriæ genitoris noſtri Lotharij quondam Auguſtorum, nec non genitricis noſtræ Hermingardæ, ſeu pro ſalute noſtra* &c. *ad*

conſola-

conſolationem & tutamentum rectorum ejuſdem Sedis, vel Cleri; quo *præſignati ſervi Dei noſtrâ perceptâ liberali munificentiâ, eos Domini Miſericordiam pro noſtra ac Prædeceſſorum noſtrorum ſalute liberiùs exorare delectet.* Sic *pag.* 63. Zuentibolchus anno 890. Eccleſiam Trajectenſem dicit constructam *in honore S. Martini & aliorum Dei Sanctorum,* & beneficia dicit ei collata fuiſſe *ob amorem Dei & reverentiam S. Martini* & meminit reſidentium *in terris S. Martini,* & ſtatuit ut omnia ibi commemorata redeant in jus & dominationem dictæ Eccleſiæ, *ob mercedis* ſuæ *augmentum & æternam remunerationem, ut S. Martinus, in cujus veneratione iſta* contulit, *dignetur* pro ſe *intercedere, ut veniam peccatorum* ſuorum *mereatur habere,* & hanc ſuam donationem infringenti denunciat *iram Omnipotentis Dei & S. Martini.* Sic *pag.* 75. Baldricus anno 944. lamentatur ſe reperiiſſe *honorabiles Eccleſias S. Martini, Patroni ſui, & S. Salvatoris, dirutas & exuſtas,* quas ait ſe pro modulo reparaſſe, & earum *Canonicos ad ſuſtentationem eorum ampliorem ut divinis laudibus ferventiùs inhæreant,* his & illis donaſſe *ad ſtipendialem uſum fratribus in eiſdem Eccleſiis continuè ſervientibus,* quod vult *pro remedio animæ ſuæ omni tempore proficere in augmentum.* Ita Henricus Rex, eidem Baldrico priſcas immunitates Eccleſiæ Trajectenſis confirmavit, *ob amorem Dei & reverentiam S. Martini, pag.* 36. Quâ & formulâ Otto 1. Imperator utitur *ibid. pag.* 82. anno 928. Et anno 950. idem Otto Tielam dat eidem Sedi, *ob amorem Dei* ſuęque *remedium animæ, pag.* 86. Et *pag* 93. Anfridus hæc & illa tradit *pro ſe* ſuorumque *parentum remedio, ad Eccleſias S. Mariæ ſemper virginis ſanctique Martini in Trajecto, ad reſtaurandum ibidem Dei ſervitium,* ſuperſtitioſum ſcilicet & Idololatricum; unde infringenti ſuam donationem optat ut *laqueum omnipotentis Dei iræ, ejuſque genitricis Mariæ, Sanctique Martini incidat.* Ita *pag.* 94. Frethebaldus anno 997. plurima dat *S. Martino ſuo ſpeciali Patrono, ad ſtipendialem videlicet uſum fratribus Trajecti ſub caſtris Chriſti commorantibus, pro animæ ſuæ ſuorumque Parentum remedio, nil dubitans cum tranſitorijs acquirere perennis vitæ gaudia* Ex eodem principio *ibid. pag.* 25 Otto tertius ſuam donationem inſtituit anno 998. *ad remedium animæ* ſuæ *parentumque* ſuorum, quod *proculdubio* credat in ſuæ *animæ & carnis fœlicitate* ſibi *divinitùs remunerari,* quicquid *locis divino cultui mancipatis* largitus fuerit. Et Henricus II. *pag.* 99. anno 1003. ſuam donationem inſtituit *ob amorem Dei & S. Martini;* & *pag.* 100. in ſequenti Diplomate ſuam donationem facit *ob animæ* ſuæ *remedium Parentumque ſuo-*

rum:

rum. Sic *pag.* 114. Conradus anno 1028. ſtatuit ejuſmodi largitionibus Principes *ſuffragia Sanctorum promereri*: Et *pag.* 120. alter Henricus anno 1040. nullo modo ambigit *cœleſtibus bonis à Deo* ſe remunerandum, *ſi loca Deo devota terrenis rebus augere* ſtuduerit, & ſi juverit *Deo ejuſque Sanctis divina officia pro vivis & mortuis offerentes*; unde ait ſe hæc & illa donaſſe Eccleſiæ Trajectinæ, *pro æterna Dei gloria, atque bonæ memoriæ Patris ſui Conradi Imperatoris anima*; eo magis ex officio, quod cum in ea Eccleſia *paterna* ſepeliverit *viſcera, Beatus Martinus à* ſe *quaſi debitore* ſua *requirat ſervitia*. Reliquæ donationes illius Henrici III & Henrici IV. ac ſequentes ſunt ejuſdem ſtyli, ſemperque ævi ſui ſuperſtitionem & Idololatriam evidenter referunt.

Ex his auté, quibus paulo diutiùs debui inſiſtere, igne liquido liquidius conſtat, revera Errori, Superſtitioni, Idololatriæ, ideſt opinioni merendi, metui Purgatorij, invocationi Sanctorum, inædificari omnes dotationes illas ex quibus, Spiritualitatis reſpectu, enatæ ſunt hodiernæ Præbendæ Ultrajectinæ, & ſic eas origine ſuâ non bonis verè Eccleſiaſticis & Deo ſacris, ſed Idolothytis propriè dictis, eſſe annumerandas, nec eos aberrare à vero qui dixerint tam ineptè hæc Beneficia vocari *Patrimonium Chriſti*, quam jure deberent dici *Patrimonium S. Martini*, eodem planè modo quo illa omnia ſæcularia quæ Papa poſſidet, vulgò *Patrimonium S. Petri* appellantur. Et ſanè cum Eccleſia S. Martini ſub hoc formali fuerit *Idolothyton* notorium, ut ſuprà notatum de omnibus Templis in Papatu, non poſſunt alio loco haberi quam Idolothytôn omnia illa bona quæ Eccleſiæ S. Martini quà tali, donata, dicata, aſſignata fuerunt.

Non eſt autem quod recurramus ad fundatorum & donatorum bonam intentionem, quo eorum dotationes & in forma & in fine legitimas, nec Idololatricas, ſtatuamus; Etenim ſolam bonam intentionem non ſufficere in rebus ad cultum Dei ſpectantibus, res eſt in noſtra Theologia notior, quam ut debeat fuſiùs explicari; Ac prout Paulus Judæis tribuit quod habuerunt *zelum Dei, at non ſecundum ſcientiam* Rom. x, 21. ita etiam fundatoribus & dotatoribus Eccleſiarum in Papatu, tribuere poſſimus quod zelo cœco & præpoſtero acti fuerint: Prout hujuſce noſtræ Provinciæ Ill. ac P. P. Ordines, in aureo illo ſuo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

Diplomate quo anno 1614. erectioni & conſervationi ſuæ Academiæ conſecrarunt bonam partem Bonorum Pſeudo-Eccleſiaſticorum quæ **Cloosters-goederen** appellantur, ita loquuntur; *In has res bonam eorum cenſuum partem, quos Majores noſtri, homines liberales pro modo rerum ſuarum, animo quidem bono & religioſo, ſed errorum tenebris implicito ac lapſante, in ἀσκητήσει Monaſtica quondam contulerunt, convertemus atque in uſus impendemus longè meliores.* Quibus verbis Sapientiſſimi & Sanctiſſimi Viri agnoſcunt, bono quidem animo ſed rebus minimè bonis, Majores ſuos ſua bona devoviſſe, dum ea Monaſterijs erigendis & fovendis conſecrarunt. Etiam bona fuit intentio Ethnicorum in ſuis fundationibus pro cultu Idolorum; Sed tamen ut ideo nihil juris in eas Chriſtiani habuere poſt pacem redditam Eccleſiis & ipſos Imperatores ad Chriſtianiſmum converſos, qui illa omnia Idolothyta, poſt everſum cultum Idolorum, ceu nullius & vacantia per Idololatriæ everſionem, ſuo fiſco vendicarunt, ut patet ex *l.* 5. & 9. *C. de Paganis*, (quanquam video nonullos Scriptores eò procedere, ut etiam pertendant illa quæ olim Idolis Gentilium fuerant conſecrata, debuiſſe inferri in ærarium Eccleſiæ Chriſtianæ, ad illum uſum *analogum & parilem*, ſi Deo placet, qui hodie tantopere urgetur; quæ ſententia fallò tributa Clapmario *lib.* 5. *de arc. cap.* 4. tot abſurditatum monſtra ſecum vehit, ut eam retuliſſe refutaſſe ſit.) Ita non putem quid plus neceſſarij juris Eccleſiam Reformatam quà talem poſſe ſibi tribuere in fundationes ſuperſtitioſas & Idololatricas poſt Papatum exterminatum & abolitum, ex bona intentione priſcorum fundatorum.

Cùm igitur nulla ſit communio Chriſti cum Beliale, qui volet ſanè loqui, nunquam appellabit *Patrimonium Chriſti*, bona Superſtitioni & Idolo devota, etſi Canoniſtis Pontificiis quandoque libuerit hoc elogio ſua bona Pſeudo-Eccleſiaſtica inſignire, quò illa Regibus & Magiſtratibus Chriſtianis magis intacta & inacceſſa redderent: Et nullus mihi dabitur author probatus aut probandus Thelogis noſtris, qui ita fuerit loquutus; imò nec ita αὐτολεξεὶ loquuntur Canones ipſi extantes apud Gratianum, qui illi phraſi adſtruendæ falsò à nonnullis citantur. Sed quamvis ex eo quod ſunt Idolothyta, ſatis evidenter conficiatur, 1. nullo modo poſſe illa cenſeri bona Deo conſe-

crata, Patrimonium Chriſti, bona verè & univocè Eccleſiaſtica; 2. tam facile potuiſſe ſæcularizari, (uti factum eſt) poſt extinctam Superſtitionem & Idololatriam Pontificiam & Antichriſtianam, cui fuerant conſecrata, ac illos reditus Virginum Veſtalium inter Ethnicos, quos in fiſcum Imperatorum Chriſtianorum redactos, iterum illis vendicare conabatur Symmachus, blandâ & artificioſâ oratione habitâ ad Valentinianum, Theodoſium & Arcadium, cui reſponderunt Ambroſius & Prudentius; 3. tam parùm hæc bona deberi Eccleſiæ jam Reformatæ, quam parùm debebantur Eccleſię Chriſtianæ poſt pacem illi redditam, quæ Idolis Gentium fuerant conſecrata; eo quod licet Idolothyta, in ſuo materiali conſiderata, poſſint fieri Eccleſiaſtica, attamen talia eſſe & cenſeri in ſuo formali non poſſunt; Id etiam in hac cauſa magnâ conſideratione dignum mihi videtur, quod omne illud Temporale, de quo nunc diſputo, ea bona ſecum adjuncta habeat, quæ nullo modo poſſunt propriè Eccleſiaſtica eſſe vel fieri; cujuſmodi ſunt jura Servitutum, Patronatus, mixti & meri Imperij, Juriſdictionis utriuſque, Civilis & Criminalis; quæ tum poterunt Eccleſiaſticis quà talibus convenire, cùm Bonifacij VIII. argumenta *Extra. Unam Sanctam, de Mai. & Obed.* quibus vult ſibi vendicare jus utriuſque gladij, ab ullo cordato & ſapiente viro admiſſa fuerint; Et huic combinationi ſemper noſtri oppoſuerunt illud Bernardi *lib.* 2. *de Conſid. ad Eug. cap.* 6. *Planum eſt, Apoſtolis interdicitur Dominatus; I ergo tu, & tibe uſurpare aude, aut Dominans Apoſtolatum, aut Apoſtolicus Dominatum; Planè ab alterutro prohiberis; Si utrumque ſimiliter habere voles, perdes utrumque: Alioquin non te exceptum eorum numero putes de quibus Deus queritur ſic, Ipſi regnaverunt ſed non ex me, Principes extiterunt & non cognovi eos; Iam ſi regnare ſine Deo juvat, habes gloriam ſed non apud Deum.*

Itaque ut vela contraham & vim hujus mei argumenti ſyllogiſticè proponam, ſic ratiocinari lubet: Quæ bona nec conſecrata ſunt Deo, nec ſunt ſenſu Pontificio merè Eccleſiaſtica & talia quæ à Laicis poſſideri nequeant, nedum ad *curam animarum* deſtinata; nec etiam verè & propriè Eccleſiaſtica ſtatui poſſunt, ſed propriè dicta Idolothyta, ſi quæ ulla ſunt in Papatu; illicitis artibus acquiſita, ex opinione falſa merendi plurimum apud Deum ejuſmodi dotationibus, ex metu ig-

nis Purgatotij, ex cultu Sanctorum & valore Miſſarum, tanquam ex Diaboli ſterquilinio enata, imò talia quæ etiã, his ſepoſitis, nullo modo poſſunt ab Eccleſiæ Miniſtris quà talibus poſſideri; illa poſſunt abſque ulla Sacrilegij labe, bonâ conſcientiâ poſſideri ab hodiernis Canonicis Ultrajectinis, laicis quidem, ſed Reformatam Religionem profitentibus. Atqui bona quinque Capitulorum, talia ſunt: Et qui minus hæc bona Idotothyta dixerit quam Templa ipſa, in quibus peragendus erat cultus cui fuerant aſſignata, & quæ talia eſſe ipſe fateretur, is mihi omninò videretur eodem modo delirare quo Phariſæi & Scribæ, qui nullius faciebant juramentum editum per Templum, at eum qui juraſſet per aurum Templi, reum pronunciabant: Nam Templa nullo loco haberet, ſed magni faceret aurum Templorum, ideſt opes illis conſecratas: Templa enim pateretur, imò optaret, dirui, everti, vendi, uſibus profanis & ſæcularibus applicari: ſed aurum Templorum & eorum opes, ceu res valde ſacras & pretioſas, ſedulò recolligeret & Eccleſiæ vendicaret. Adde quod ſi Templum Hieroſolymitanum ſanctificabat aurum ei illatum, è contrario ſtatuendum eſt Templa Idolothyta Pontificiorum revera polluiſſe & contaminaſſe, ac Idolothyta effeciſſe, opes & divitias illis addictas & aſſignatas.

Huic argumento, paucula ſuo more opponit S. P. Vellet ſibi oſtendi fundationes horum bonorum, ut de illis judicari poſſet: Sed earum ſpecimina plurima exhibuimus, ex quibus liquet eas nullo modo ſacras dici poſſe, niſi quo ſenſu celebratur Poetæ *auri ſacra fames*, quâ laborant S. P. cum ſuis, dum tanto cum conatu hæc bona ad ſe rapere ſtudent. Aſſerit & præcipuos ex Canonicis ſtatuere plurima eſſe bona in quinque Capitulis ad curam animarum ſpectantia, & ita ſenſiſſe Ordinem Equeſtrem in ea Provincia anno 1606. juxta ſuum Protocollum, ſive *Conſ. Theol. p.* 2. *pag.* 93. quò nos amandat, nec non Senatum Ultrajectinum, ut refert ex eodem ſuo Protocollo quoad annum 1619. *pag.* 144. & quoad annum 1655. *pag.* 186. *&* 187. Sed de Equeſtri Ordine, reſponſum eſt jam ſemel ſuo loco: Urbis Senatum Ampliſſ. quod ſpectat, quicquid in ſuis Civilibus contentionibus cum aliis duobus membris quandoque dixerit aut ſcripſerit, ut amplius in ſuum ærarium ex illis bonis derivare poſſet, tamen nec diſertè lego *in Conſ. Theol.* eum ſtatuiſſe, hæc bona data fuiſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

ad curam animarum, adeoque ſuis Paſtoribus deberi, ceu ad eam curam nunc evocatis: & quam ſit procul à Capitulorum everſione, quam de ſuo *turno* ſeruando in illorum beneficiorum collatione, eorumque pretio in rem ſuam convertendo, ſit ſollicitus, ſuo loco hîc demonſtratur. Et quantum ad præcipuos è Canonicis quos ita ſentientes S. P. calumniatur, putem me poſſe bonâ fide omnium & ſingulorum D. D. Capitularium nomine, illi reſpondere, quod Valerianus Magnus Capuccinus celebris, nuper reſpondebat publicè alicui Jeſuitæ, qui pariliter eum calumniatus fuerat, *Sceleſtiſſimè mentiris.* Negat hæc bona eſſe Idolothyta; Sed & ipſum id agnoſcentem conceptis verbis, antea audivimus, & ita hîc probatum do, ut id velle negare ſit contra Solem loqui. Petit ſibi probari, hæc bona ritu Pontificio conſecrata non fuiſſe; Sed præterea quod affirmanti incumbat probatio, nemo neſcit & juxta definitionem Juſtiniani, à me ſuprà propoſitam, & juxta praxim Pontificiam, ſola Templa ac Cœmiteria ex bonis immobilibus, atque cœtera cultus publici inſtrumenta mobilia, ſolemni ritu conſecrari; neutiquam verò agros & fundos alioſque reditus temporales ad Eccleſiam pertinentes. Non patitur immenſas illas opes Eccleſiaſticas, *venenum* Eccleſiæ appellari, propter earum abuſum; Quia ſcilicet confidit ſe meliùs illis uſurum, ſi ſemel eas Capitulis extorqueat, & poſſit eorum vomitum, quem ciere ſtudet, non minus accuratè recolligere ac reſorbere, quam cœteri Poetæ dicuntur Homeri vomitionem ſollicitè recollegiſſe, ac in rem ſuam convertiſſe. Tandem, famoſus retortor, vult in me hoc argumentum convertere ac retorquere, his ferè verbis; *Quæ bona Deo ſunt data ex cauſa impulſiva & finali, licet modo malo, Papiſtico & Idololatrico, & ad curam animarum, more quidem etiam Pontificio, nihilominus tamen Eccleſiaſtico, & propriè ſpirituali, ordinata erant, quamdiu talia manent,* ſoo langh ſe ſoo zijn of waren / of bleven / *à nullo laico ſæculari aut privato poſſideri, uſurpari, aut ſæcularizari poſſunt: At hîc ita ſe res habet:. Nec prodeſt hîc dicere quod à morientibus ex Purgatorii metu extorta ſint. &c. Nam Donatores nihilominus intendebant Dei honorem & cultum, ceu ultimum ſuum finem. Theol. Conſ. pag.* 235. *Neque quod ſint ſæculariſata,* ontkerckt / *contra quam aſſeratur Theol. conſ. pag.* 207. 227. 228. *Ergo non poſſunt.*

à priva-

à privatis ſæcularibus uſurpari aut poſſideri. Sed ſane in hoc bellulo Syllogiſmo, plures ſunt Solœciſmi Theologici quam ſyllabæ; plures contradictiones, quam dictiones: Nam Deo datum cenſeri non debet, quod malè datum eſt; ſiquidem quod malè fit, Idololatricè & Superſtitioſè, bonum eſſe nequit, & quicquid fit ſine fide peccatum eſt, Rom. XIV, 23. Nec ſe donatarium Deus conſtituit eorum, quæ ſibi oblata fuerint ritu Idololatrico, Superſtitioſo & Papiſtico; cùm etiam oblationes à ſe præſcriptas reſpuat & deteſtetur, ubi malè, nec quo par eſt animo, offeruntur Eſ. I, 11. 12. Nec illæ donationes poſſunt laudari à cauſa *impulſiva* & *finali*, quæ errore & ſuperſtitione impellente factæ ſunt, ad cultum ſuperſtitioſum & erroneum: Non minus exoſus fuit Deo vitulus aureus, quod in ſui honorem & cultum erectus fuiſſet ab Aarone, ad populum proclamante, *Cras erit feſtum Jehovæ* Exod. XXXII, 5. Non minus damnas & reus Idololatriæ Mica cum ſua matre, quod eum in finem *Jehovæ* conſecratum & devotum fuiſſet ſolemniter argentum, ex quo hic ſibi fecit ſcuptile & domum *Elohim*, & Ephod & Teraphim, & inde *Iehovæ* benedictionem ſibi polliceretur, Jud. XVII, 2. 3. 4. 13. At juxta hos novos Caſuiſtas, nec peccaverit coram Deo Levita ille qui ſe Micæ addixit, victitando in Idoli cultu, ex iis quæ illius gratiâ *Iehovæ* conſecrata fuerant; Nec pollutum fuiſſet Dei Sanctuarium, quod tunc Schilunte erat, ſi in illud illata fuiſſet hæc Micæ ſtatua argentea, in maſſam conflata; Et parum providè egit Moſes, quod vitulum aureum in pulverem redegit, cùm potuiſſet totam illius materiam, ut pote ipſi Jehovæ conſecratam, quanquam ritu Idololatrico & vitioſo, Tabernaculo mox conficiendo dicare. O dignum trium literarum hominem, (nam ſe tribus literis V. D. M. ideſt, Verbi Divini Miniſtrum profitetur) cui tutò animarum cura in vera Chriſti Eccleſia committatur! Nam in illa tam probè eſt verſatus, ut etiam eò facere pertendat, quæcunque Superſtitioſa & Idololatrica apud Papicolas obtinent & obtinuerunt ſuperioribus ſæculis, ad animas mortuorum liberandas ex Purgatorio, & viventes ſuperſtitione captos ſuis nummis ſubdolè emungendos: Huic ſanè oportet mandes, ſi quid in animarum cura, rectè curatum velis. O jecur Theologicum ex cujus ſententia id quod fit, ipſo-met fatente, op een Paapſche afgodiſche wijſe,

ſe/ & **in een Pauſelicken ſin** / ritu, more, & animo Pontificio, Idololatrico & malo, nihilominus ſtatui debet factum, **Kerckelick en recht Geeſtelick** / Eccleſiaſticè & Spiritualiter, non tantum æquivocè & ſecundum dici, ſed verè, realiter & propriè. Quid eſt ἀσύγκλωστα κλώθειν, prodere adverſariis cauſam Eccleſiæ, Idolomaniæ Papiſticæ advocatum ſe conſtituere, cœlum inferis conjungere & miſcere, ſi hoc non eſt? O inclytæ Academiæ Ultrajectinæ almam facultatem Theologicam, ad cujus Pedes tam ſubtiliter inſtituitur ſacro Verbi Divini Miniſterio conſecranea juventus, ut poſſit Templum Dei cum Idolis, & Chriſtum cum Belial, & lucem cum tenebris componere, invito Paulo 2. Cor. v 1, 14. eaque facere verè Eccleſiaſtica vereque Spiritualia, quæ tamen ſimul ſint Papiſtica & Idololatrica! Quidni? Cùm juxta hanc novam Theologiam, *bona* Idololatrarum & Superſtitioſorum *intentio*, cujus mantello ſolent Papiſtæ ſimiliter ſua pudenda contegere, elixiris occulti vim habeat, cujus efficaciâ, ſacrum, pium, religioſum, evadit, quod aliàs turpe, vitioſum, abominandum erat: Sed de iſta intentione dicemus fuſiùs *capite ſequenti.* At, inquit *pag.* 235. Protocollum S. P. ſibi citatum, non hîc queritur quomodo hæc bona olim acquiſita & corraſa ſint, illi enim quorum conſcientiæ in eo implicitæ fuerunt, jam judicati ſunt; ſed quomodo illis nunc bonâ conſcientiâ utendum ſit: Sed reſpondeo, id è contrario ſummopere facere ad hanc quæſtionem: Vis enim non fore hodie legitimum uſum bonorum iſtorum, niſi cedant cultui divino, quod Deo ipſi, ad ejus cultum & honorem, ſint primitùs data & conſecrata; Ego verò pertendo hoc tuæ ſententiæ fundamentum vanum & ſtramineum eſſe, eo quod iſta bona primitùs, non Deo ad illius verum cultum, ex ſincera & recta pietate, ſed ex errore ac ſuperſtitione Idolo, ad cultum vitioſum, devota fuerunt, & peſſimis artibus corraſa & adhamata ab iis quibus erant quæſtui mentes ſuperſtitione implicitæ: Ut nullo jure, nullo colore, Dei bona & Patrimonium Chriſti, ad Eccleſiæ ſuæ paraphernalia ſpectans, poſſint ſtatui. Verùm videntur iſti homines propediem ſuſcepturi tortorum & perſecutorum Eccleſiæ patrocinium; Nam ut hic S. P. non vult obeſſe ſuæ cauſæ quod hæc bona extorta ſint per metum Purgatorii &c. cùm Donatores, pro ultimo fine ſibi propoſuerint Dei honorem & cultum,

tum; ita poterit deinceps laudare ſævitiam & crudelitatem perſecutorum, eo quod in piis mactandis, cenſuerint, idque in ſcopum ultimum ſibi præfixerint, λατρεία προσφέρειν τῷ θεῷ, *cultum adferre Deo*, ut reddit Vulgatus interpres, ſive, ut alii, obſequium ei valde gratum præſtare Joh. xvi, 2. Quid quod S. P. dum vult hæc bona fieri inacceſſa privatis & laicis, (quos profano & Papiſtico more vocat *ſæculares* & *mundanos*, parum convenienter homini qui ſe V. D. M. inſcribit,) quamdiu talia ſunt & manent qualia ipſe deſcribit, ideſt Papiſtico-Eccleſiaſtica, Idolo-divina, Profano-ſacra, Superſtitio-religioſa, eo ipſo videtur ſupponere, quod poſſint tranſmutari & ſæcularizari, quod novo, ni fallor, in hac Belgica vocabulo, ex ſuo Protocollo, **ontkerken** dicit: Sic enim decet novas voces inveniri ab iis qui nova dogmata invehunt. Forſan Pontificii hoc nomine noſtram Reformationem & ſeceſſionem à Sede Romana traducunt; Sed abſurdum eſt eo exprimere ſæcularizationem bonorum Pſeudo-Eccleſiaſticorum, ut eorum poſſeſſio fiat licita laicis, citra obligationem cultus ſuperſtitioſi quæ ei olim adhæſerat. Ut autem talis ſæcularizatio eſt in ſe licita, non ſecus ac talium bonorum publica venditio, ipſorumque Templorum Papiſticorum, ut-ut ſpeciatim conſecratorum, demolitio, alienatio, ad uſus civiles applicatio, ſic eam negare legitimè factam in Provincia Ultrajectina, idque authoritate Supremi Magiſtratus, cujus eſt, ipſo D. Voetio judice *in Frat. Mar.* Collegia quæ Pſeudo-ſacra erant in Papatu ſæcularizare, ac, ut ipſe loquitur, *politiſare*, eſt hominum ultrò ad lucem cæcutientium, nec videre volentium quod tamen vident & eſt in propatulo.

Ne tamen S. P. queratur, ſuum Protocollum à nobis neglectum, verbum dicam de illius locis, ad quos hîc confugit. Author *Conſ. Th. p. 2. pag.* 207. vult probare hæc bona eſſe adhuc Eccleſiaſtica, eo quod non ſint Provincialia, nec Patrimonialia privatorum, nec Civica. Sed quî neget, quæſo, ea bona eſſe Provincialia, quæ ſunt eorum Collegiorum, quibus ita convenit primus locus & ordo in regimine Provinciæ, ut ipſa tota, ab his bonis, in hunc uſque diem **'t Sticht**/ appelletur, & quorum diſpenſatio eſt ita penes univerſam Provinciam, ut cuique illius membro ſuus *turnus* competat in

eorum collatione, ut Ordinibus ipſis in communi, jus *Placiti* ſui conferendi ad illa poſſidenda? Neque enim pugnant inter ſe, Dominium utile horum bonorum eſſe penes ipſa Capitula reſpectivè, ut ab Equeſtri & Civico ordine diſtinguuntur, & directum penes omnes Ordines totius Provinciæ, ut ſimul & collectivè Reip. Principem, ſive, ut accuratiùs loquar, Supremum Magiſtratum conſtituunt. *Pag.* verò 227. *&* 228. Celeberrimus ille ſcriptor, tria habet; Primò negat procedere conſequentiam à ſæculariſatione iſtorum bonorum, ad eorum poſſeſſionem, qualis nunc obtinet Ultrajecti; Sed cùm negatæ conſequentiæ non aliud adferat firmamentum, quam vetera nomina ſub quibus hodierna hæc procedit poſſeſſio, non eſt quod huic rei nunc immoremur; de illis nominibus dicturi ſuo loco: Sufficit in anteceſſum monere, eodem modo hos titulos ſæcularizatos eſſe, quomodo ipſa bona quæ ſub illis poſſidentur; imo quomodo nomen totius Provinciæ, quæ de Sticht / ut olim, adhuc hodie appellatur; licet id nomen ſit nomen Pſeudo-ſacrum, quod Diœceſim ſive Epiſcopatum ſonat. Secundò non diffitetur potuiſſe hæc bona, cum univerſo Capitulorum ſtatu ſæculariſari, ſed negat à poſſe ad eſſe procedere argumentum: Verumenimvero eo ipſo quod id potuiſſe fieri concedit, agnoſcit non ita eſſentiale & intrinſecum eſſe his bonis, manere Eccleſiaſtica, quin aliis uſibus poſſint applicari. Tertiò, poſt illas velitationes, negat horum bonorum ſæculariſationem unquam proceſſiſſe, & petit quando & per quos ea proceſſerit, cùm nec ipſa Capitula id potuerint, ut pote penes quæ non ſit *proprietas*, ſed tantum *uſus fructus* eorum, nec ea aliter ex Ordinum judicio quam ceu Geeſtel cke goederen / ideſt Eccleſiaſtica & Spiritualia huc uſque poſſederint. Sed dico ſæculariſationem illam eminenter factam fuiſſe per Unionem Ultrajectinam, quæ & Collegia hæc ſancivit remanſura, & omnibus eorum membris fecit libertatem religionis & veſtium, adeoque ſic voluit Collegiis illis remanere poſſeſſionem priſcam ſuorum redituum cum axiomate Politico ei annexo in Rep. ut hanc poſſeſſionem liberaverit à neceſſitate cultus Pſeudo-ſacri, quæ priùs illi adhærebat: Quod poſtea dilucidiùs explicarunt & extenderunt autrocatoricè Illuſtres illius Provinciæ Ordines, & in illis pro ſua parte ipſa-met Capitula, abrogando cultum

tum omnem Pontificium, Beneficiorum collationem ſibi tribuendo, Collegiis prohibendo *capitulariter* convenire alio fine quam ad bonorum ſuorum temporalium adminiſtrationem, declarando beneficiatos & electos, non habendos in Rep. pro Eccleſiaſticis ſed pro Sæcularibus & Laicis, & ſanciendo neminem in illa Collegia recipiendum & admittendum ad iſta beneficia qui Reformatam Religionem non profiteatur; quæ omnia ſuprà fuſiùs enarravimus *cap.* 1. & 4. Certè cœcutire oportet, qui in his non videt manifeſtam ſæculariʒationem iſtorum Collegiorum & bonorum quæ ad illa pertinebant, per quam & Collegia remaneant, & ſua bona collegiata poſſideant, abſque ullo formali Pſeudo-Clericatu, & citra ullam obligationem cultus Superſtitioſi. Nec ideo hæc bona ſæculariʒata non ſunt, quod non ſint publicè diſtracta in uſum Reip. ut factum in Hollandia de bonis Pſeudo-Eccleſiaſticis; quod non contigiſſe ægrè fert idem authorpag. 229. Nam aliter ſe rem habuiſſe in Provincia Ultrajectina quam in cœteris Belgicæ Fœderatæ partibus, propter axioma ipſorum Capitulorum, quæ ex lege fundamentali Reip. remanere debuerunt, & ſua rura ſuamque dignitatem in Rep. retinere, ſuo loco explicatum do, etiam ex ipſius-met Celeberr. Voetii verbis, ad quæ nec S. P. nec quiſquam alius, quicquam ſolidi reponere unquam poterit. Quod verò iſta bona adhuc **Geeſtelijck** vulgò appellantur non magis probat ea formaliter eſſe talia, quam demonſtratur adhuc hodie Provinciam Ultrajectinam, ut olim, conſtituere Diœceſim & Epiſcopatum ſpecialem in Papatu, quod **de Sticht** etiamnum appelletur.

CAPUT OCTAVUM.

Argumentum hoc ipſum ulteriùs vindicatur, agiturque de Fundatorum intentione, & oſtenditur quod neque ex illa neque ex ullo alio probabili titulo, poſſint hæc bona vendicari neceſſariò uſibus ſacris Eccleſiæ Reformatæ.

QUo autem magis ſua conſtet veritas & ſoliditas huic argumento, ſatis fusè deducto, operæpretium eſt ut paucis expendamus quæ ex parte horum bonorum poſſent adferri adverſus hodiernam eorum poſſeſſionem per Canonicos Ultrajectinos; His enim diſcuſſis & refutatis, veritas ipſa magis pateſcet, ut nebulis diſſipatis, Solis ſplendor magis perſpicitur. Dices itaque, Debet altari ſervire qui vivit ex altari: Reſpondeo, nec Canonicos Ultrajectinos vivere ex altari Dei, cùm altare cui olim bona quæ nunc poſſident fuerant addicta, non Dei fuerit, ſed S. Martini; nec æquum eſſe ut ſerviant altari Martini, eò quod fruuntur bonis quæ olim illi ſacra fuerant, ut non erat æquum Chriſtianos poſſidentes reditus ereptos Veſtalibus, ſervire altari Deæ Veſtæ, eo quod hæc ſua bona haud ita pridem huic Idolo ſacra fuiſſent. Ne dicam debere quidem eum ex altari vivere qui ſeruit altari, ſed non tamen viceverſa neceſſe eſſe eos omnes ſervire altari qui ex illo vivunt; Nam ſub V. T. veſcebantur etiam ſuo ſenſu ex altari, ipſorum Sacerdotum ſerui, ancillæ, domeſtici, quos tamen miniſtraſſe altari nemo dixerit.

Quæ ad hæc deblaterat S. P. tam ſunt inficeta, ut nullâ refutatione egeant. Dicit meum ſimile à bonis Veſtalium eſſe epiſtolam Uriæ; Sed non miror, nam ipſum valde urit. Colligit, ergo Canonicos *Martiniſtas* debere ſe profiteri; Sed non opus eſt, cùm nolint ſeruire Martino; & quo jure bona quondam Martino devota & malis artibus acquiſita poſſideant, citra conſcientiam illius iniquitatis, alibi doceo. Canonicos denique accuſat, ac ſi multifariàm Papiſtarum ſuperſtitioni & cultui vacent; Sed illi criminationi, cui nunquam ſubſcriptura eſt Eccleſia Ultrajectina, quæ eos & admittit & invitat ad Sacram Cœnam, ceu Eccleſiæ Reformatæ genuina membra, id ſolum Michaelis Archangeli oppono, *Increpet te Dominus.*

Dices,

Dices, Idolothyta Gentilium forte non debebantur Eccleſiæ Chriſtianæ, ſed alia eſt ratio Idolothytôn Pontificiorum, cùm etiam Imperatores Chriſtiani, qui illa fiſco addixerant, voluerint bona hæreticorum communitati erepta, cedere Orthodoxis. Reſpondeo, fuiſſe juris poſitivi, non verò naturalis aut divini quod obliget in Belgio, ſi quid de bonis hæreticorum in gratiam Orthodoxæ Eccleſiæ Imperatores, ex indebita liberalitate, aliquando conſtituerunt; Poſito enim Socinianos alioſque hæreticos ſibi clam comparaſſe in Belgio vel loca ad ſua ſacra peragenda, vel etiam fundos & reditus ad eorum exercitium & conſervationem facientia, non putem Magiſtratum Reformatum non poſſe hæc loca & hos eorum reditus fiſco ſuo addicere, illorum conventicula diſturbando tanquam coitiones illicitas & publicis legibus prohibitas. Prout per Edicta varia Fœderati Belgij fiſco addicuntur ædes, horrea, naves, quæ ejuſmodi conventiculis habendis, ex locationis, venditionis, donationis titulo, alio-ve ſimili, aſſignarentur & deſtinarentur.

Ridiculus autem eſt S. P. dum vult ut probem illam legem poſitivam quorundam Imperatorum, de hæreticorum bonis Eccleſiæ addicendis, non obligare in Provincia Ultrajectina, & quando aut quâ lege contrariâ & juſtâ abrogata fuerit: Nam illius foret probare, quod omnes leges, quæ olim in Imperio latæ fuerunt, etiamnum vigeant apud Belgas, & obtineant vim legum in Rep. libera ac independente ab illo Imperio quod jamdiu deſiit eſſe, ſi Papa eſt Antichriſtus, ut revera eſt. Et ſaltem quam hæc non obtineat in Belgio, quæ hic commemoro Edicta evidenter demonſtrant.

Præterea ſibi ex parte rei fingere diſcrimen aliquod tale inter Idolothyta Ethnica & Pontificia, per quod plus juris in hæc competeret Eccleſiæ Reformatæ quam in illa olim Eccleſiæ Chriſtianæ, eſſet hominis parati Idololatriam & Superſtitionem Pontificiam excuſare, & patrocinari decumanis erroribus qui Eccleſiam Romanam occuparunt à ſeptimo ſæculo, ut quo jure quâ injuriâ ſuæ hypotheſi ſerviat; ad inſtar illius qui dicebat, *Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta movebo.*

Dices, Non fuit intentio Teſtatorum & Donatorum ut hæc bona poſſiderentur unquam à Laicis, ſed tantum ab Eccleſiæ Miniſtris cultui Dei vacantibus: debent autem eſſe ratæ ſupremæ hominum vo-

luntates, quas præſertim emiſerunt, ut in pleriſque fundationibus iſtiuſmodi factum eſt, cum diris & imprecationibus adverſus eos qui illas contempſerint aut everterint: Reſpondeo multo minus fuiſſe intentionem eorum, ut hæc ſua poſſiderentur ab ejuſmodi inter Chriſtianos Doctoribus, qui ſtatuerent, ut faciunt & tenentur facere Eccleſiæ Reformatæ Miniſtri, has largitiones factas fuiſſe ex falſa opinione meritorum, valoris Miſſarum, cultus Sanctorum, ignis Purgatorij, & revera nihil eas ſuis authoribus profuiſſe ad eum finem quem ipſimet intendebant: Quin multo magis intenderunt hæc à Laicis poſſideri, qui retinerent axioma Politicum & authoritatem Civilem, quam ſuis dotationibus innexam eſſe voluerunt, quam ab ejuſmodi Eccleſiæ Miniſtris, qui Merita ex talibus largitionibus ſubſannarent, Purgatorij metum inanem & ſuperſtitioſum dicerent, Invocationem Sanctorum & cultum S. Martini & B. Virginis, Idololatriæ graviſſimæ inſimularent, Miſſæ choragium & Sacrificium deteſtarentur, Preces pro mortuis damnarent, Luminaria perpetua ex templis ejicerent, Pontificem Romanum Antichriſtum proclamarent. Abſurdè hic dixeris cum S. P. hæc data fuiſſe ad Dei cultum in genere; ergo debere eorum eſſe qui cultui Dei vacant, ſive ſint Canonici, ſive alij; tollendum itaque abuſum & conſervandam rerum ſubſtantiam: Etenim data ſunt ad illum cultũ ſpecificè qui tunc obtinebat, adeoque vitioſum & ſuperſtitioſum, ut proculdubio nunquam danda fuiſſent ſi cultus legitimus & purus viguiſſet; Si ergo illius cultus vitioſi *ſubſtantia* debeat remanere, fiant Paſtores Eccleſiarum Reformatarum, Miſſifici & Canonici Pontificij, & tum de ſuo jure diſputent.

Adhæc intentio Iſraelitarum in fundendo vitulo aureo fuerat ſervire Jehovæ, cui etiam feſtum iri poſtridie celebratum Aaron proclamabat Exod: XXXII, 6. Hæc tamen intentio non permovit Moſem, ut aurum ex quo vitulus conflatus fuerat, inferret in Sanctuarium. Non quæro id-ne jure potuerit, (quod urget S. P. an benè, ſuppoſito, uti par eſt, Moſem egiſſe ex ſpeciali Dei mandato circa vitulum conburendum ac in cineres redigendum, viderint Theologi ipſo ſaniores;) ſed an omninò debuerit, ex primæva illa Idololatrarum intentione, quâ ipſius Jehovæ cultum ſpectabant: Nec enim nego poſſe bona Canonicorum converti in uſus Sacri Miniſterij, ſi ita

ſi ita ipſis libuerit; ſed tantum inquiro an ad id teneantur. Mater Micæ ſuam pecuniam dicaverat Jehovæ Jud: 17. An ideo reditus ab ipſomet aſſignati Levitæ quem cultui ſacro præfecerat coram ſuo domeſtico Idolo, in Jehovæ honorem erecto, poſt ei ſurreptum à Danitis ſuum ſimulachrum, debebantur eo ipſo Tabernaculo Dei, in quo legitimus ejus cultus Schilunte peragebatur? Non putem quemquam Theologum id aſſerturum.

Juriſconſultorum quidem eſt diſputare de vi & valore ſupremarum voluntatum. Sed certum eſt, ſucceſſores non ſemper teneri ad tales voluntates: Multa teſtamenta quotidie reſcinduntur, vel ob inofficioſitatem, vel alijs de cauſis: Si Mævius quid legaſſet Titio ſub conditione aliqua illicita & turpi, poſſet is bonâ conſcientiâ & legatum accipere & tamen conditionem additam refutare ac contemnere. Et argumentari à ſupremis voluntatibus Donatorum ad ea bona vindicanda Eccleſiæ, eſt revera imitari Symmachum, hominem Gentilem ac profanum, qui eodem argumento utebatur ad vindicanda ſuis Veſtalibus bona quondam illis legata privatorum teſtamentis, ſed fiſco addicta per Imperatores Chriſtianos: Sic enim loquebatur; *Agros etiam virginibus & miniſtris deficientium voluntate legatos, fiſcus retentat: Oro vos juſtitiæ ſacerdotes, ut urbis veſtræ ſacris reddatur privata ſucceſſio: Dictent teſtamenta ſecuri, & ſciant ſub principibus non avaris ſtabile eſſe quod ſcripſerint.* Dices cum S.P hæc bona non repeti à ſe & ſuis ut à Symmacho, ad cultum ſuperſtitioſum: Sed reſpondeo, repeti ex eodem fundamento, & quod Donatorum intentioni ſit inſiſtendum. Potuiſſent autem Prudentius & Ambroſius reſpondere Symmacho, poſſe ſtari inter Chriſtianos intentioni genericæ teſtatorum, ea bona applicando veri Dei cultui: Sed boni illi viri non ſtuduerant Ultrajecti. Quæ porrò addit de zelo Ethnicorum hic imitando, & quod hæc bona non ſint à Magiſtratu in fiſcum redacta, ut bona Veſtalium, ad illius παρέργα ſpectant, neque huc faciunt. Facile patior eum cum ſuis imitari Symmachi Ethnici zelum præpoſterum, modò fateatur hunc ſuum zelum eſſe cœcum & ſine ſcientia.

Et cùm poſſit Supremus Magiſtratus leges ponere teſtamentis condendis, eo quod Reip. interſit ne quis re ſuâ malè utatur, ut ICtis notum, ſic poteſt jam conditorum conditiones minùs æquas reſcin-

dere, ut ad illas ſucceſſores non teneantur. Poteſt ſane Magiſtratus conſtituere ne quis ſua bona leget Clero Pontificio: Nota ſunt DD. Ordinum Fœderati Belgij, publica hac de re Programmata: Id ſancitum fuit in Provincia Ultrajectina 17. Decembris 1644. In Batavia verò recentiùs, nempe 4 Maij 1655. Viderint autem alij num ideo Illuſtres ac P.P. illi Ordines veniant accuſandi ſacrilegij, quod tam providis & ſapientibus edictis interceſſerint accretioni prætenſi illius *Patrimonij Chriſti*, cujus æquè fideles cuſtodes & adminiſtratores ſe præbent Jeſuitæ, ac Judas olim crumenæ ſuæ fidei commiſſæ. Dubium enim non eſt quin æquè Deo ſacratum, & acceſſiſſe Patrimonio Chriſti & bonis Eccleſiaſticis id cenſeri debeat, quod hodie legatur Clero Pontificio, ac quod legatum olim fuit Ultrajecti S. Martino & ad illius cultum. Vel potiùs ut non poſſet ſtatui *Patrimonium Chriſti*, quod hodie in Papatu fundationibus religioſis & dotationibus Eccleſiarum & Collegiorum impenditur; aliàs Magiſtratus Chriſtianus nequiret juſtè eas ſufflaminare & prohibere; ſic nec eo loco habendæ ſunt fundationes & dotationes veteres, qualiſcunque demum fuerit donatorum & fundatorum intentio, quæ nihil quoad motiva & finem ab hodiernis diſcreparunt. Quâ autem poteſtate fas eſt Magiſtratui pio, prohibere hodiernas dotationes ne fiant, eadem poteſt priſcas corrigere ne obtineant, & juſtè excidant executione ſuæ ſupremæ voluntatis, qui illicita & iniqua voluerunt & mandarunt fieri.

Neque novum eſt aut inſolens, etiam in Papatu, recedi in ejuſmodi à fundatorum intentione; ut multis probatum dederunt Jeſuitæ contra Benedictinos, quorum hyperaſpiſtes fuit Apoſtata Scioppius. Gregorius IX. obſervante Lorino *ad 3. Epiſt. Ioh.* in Capitulo Argentinenſi improbavit quod neminem admitteret in ſuum corpus non nobilem & utroque parente illuſtrem. Quæ ſanè conditio ſatis evincit tales fundationes aliò ſpectaſſe quam ad ſolum Religionis cultum. Nemo enim poſſit ab hoc velle excluſos ignobiles & plebeios ratione natalium ſuorum, citra προσωποληψίαν vitioſiſſimam. Prout autem nullus Theologus ſtatueret Argentoratenſes debere inſiſtere tali fundationi, caſu quo putarent Eccleſiæ ſuæ Miniſtris hos Canonicatus eſſe aſſignandos in laborum ſuorum ſtipendium; nam perridiculum foret decernere nullum admiſſum iri ad Euangelij Miniſterium,

ſterium, qui nobilitatis ſuæ ſtemmata & fumoſas imagines oſtendere nequeat; æquè illi rei Oneſimus ſervus aptus eſſe poteſt ac Philemon herus & dominus; Ita putem poſſe recedi æquè facilè à fundatione quaſi Eccleſiaſtica iſtorum bonorum, non obſtante fundatorum intentione, neque hanc poſt tam longum tempus legis vim poſſe habere in Republica.

Quod ſi inſuper ſtemus Magni Calvini authoritati & judicio, nequidem fundatores & donatores illi cenſendi ſunt id intendiſſe & voluiſſe quod illis tribuitur. Statuit enim *l. c.* ſuperiori capite, non valere donationes, quæ vel ſub conditione illicita factæ ſunt, vel ex errore & deceptione, cùm juxta ICtos, nihil magis adverſetur Voluntario quam Error; Jam autem, inquit, omnes illæ donationes non alio nituntur fundamento quam errore: Sanè eorum non poteſt vel debet attendi intentio in ſuis donationibus, qui dederunt graviter decepti, non daturi ſi ſciviſſent: prout Jeſuitæ hoc axioma nobis proponunt per ſuum Emanuel Sà *in Aphor. Vovens Religionem graviter deceptus, non voturus ſi ſciviſſet, non tenetur.* Jam autem certum eſt illos fundatores iſtam largitionem, ſive potius profuſionem, ſedulò declinaturos fuiſſe, niſi erraſſent & ſuperſtitione excœcati fuiſſent; Niſi enim credidiſſent eas facturas in remedium animarum ſuarum & ad peccatorum ſuorum deletionem, & metuiſſent ignem purgatorium, & putaſſent Clero incumbere precari & Sacrificium Miſſæ offerre pro mortuis, ſua bona ſibi retinuiſſent; prout hodie videmus tales dotationes & fundationes non habere locum inter Proteſtantes, non quod pietate & liberalitate cedant ſuis majoribus, ſed quod ab erroribus illis ſunt liberati, ex quibus ſic omnis illa horum Munificentia præpoſtera manavit, ut aliunde proficiſci nequiverit. Verè enim dictum à Calvino, *nunquam ita incalituram fuiſſe culinam Cleri, niſi ignis Purgatorius incenſus fuiſſet.*

Denique ſi ulla ratio hic habenda ſupremæ voluntatis Donatorum, debent ergo bona illa adhiberi ad eos uſus Idololatricos & ſuperſtitioſos quos formaliter intendebant: Ideo negat Calvinus illos reditus poſſe poſſideri tanquam ſacros ab ullo qui non præſtet conditionem ſub qua dati ſunt. Verba Calvini hæc ſunt; *Cum hæc bona vobis relicta ſint cum conditione, vobis non ſunt acquiſita niſi eam præ-*

ſtando

ſtando conditionem: Vulgare enim & promiſcuè notum eſt eam eſſe naturam contractuum, reciprocam & mutuam partium obligationem continentium, ut illis uti nemo queat, niſi à ſua parte pacta conventa ſervaverit. Aut igitur debetis fateri, vos aliena bona injuſtè detinere, aut vobis ea eſſe acquiſita ſub ea conditione ſub qua veſtri Prædeceſſores ea primum admiſerunt & ſucceſſivè ad vos tranſmiſerunt. Quod ſi illis nefas fuit ſe obligare ad tam turpia, nec vobis licebit ex eorum iniqua ſtipulatione fructum conſequi. Si igitur urgeatur hic Donatorum intentio, non tam tenerentur Canonici Ultrajectini cedere hæc bona Eccleſiæ Reformatæ Miniſtris, qui nunquam ad tales actus ſuperſtitioſos & Idololatricos præſtandos poſſent induci, quam eos-met per ſe præſtare, ad quod eos obligatos nemo ſanus dixerit. Cùm enim S.P. dicit hæc verba Calvini penitus pro ſe facere, nullâ eorum inductione factâ in ſuam ſententiam, oſtendit ſe ebrium fuiſſe aut ſtultitiæ paroxyſmum ingentem ſuſtinuiſſe, cùm his abſurditatibus chartam macularet.

Dices, Hinc igitur ſequuturum hæc bona ſub vitioſa conditione data, non magis poſſe poſſideri à Canonicis Reformatam Religionem profitentibus, quam ab Eccleſiæ Reformatæ Miniſtris. Reſpondeo diſparem eſſe rationem: Quia non poſſidentur à Canonicis ut bona ſacra ac formaliter Eccleſiaſtica per ſuam fundationem, ſub quo titulo cenſent nonnulli ea vendicari debere Eccleſiæ Miniſtris, ſed tanquam bona merè temporalia, quorum poſſeſſioni prima pars Supremæ Majeſtatis in Republica innexa eſt. Itaque non nituntur propriè Canonici hodierni illis fundationibus quà ſacris, quæ eo reſpectu vitioſæ & nullæ fuerunt; Sed niti debent hoc fundamento, quod cùm Donatores & eorumdem hæredes, illa bona, malè, perperam & vitioſè data, habuerint pro derelictis, & paſſi fuerint fieri Capitulorum per immemorialem & interturbatam poſſeſſionem, hæc ipſa immemorialis poſſeſſio ſufficiat fundando juri, proprietati & dominio Capitulorum. Ut hinc pateat non poſſe Eccleſiæ Reformatæ Miniſtros pertendere hæc bona ſibi deberi, cùm non poſſint niti jure illo immemorialis poſſeſſionis quod competit Capitulis, nec queant reſpicere ad intentionem fundatorum & illâ niti, quin eo ipſo velint ſe obligare ad actus illos Idololatricos & ſuperſtitioſos quos fundatores intenderunt. At, inquit S. P. ſi hæc bona non poſſidentur à Cano-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

nicis ut bona ſacra ac formaliter Eccleſiaſtica, oſtendatur ergo no-
bis quandonam talia deſierunt eſſe: Reſpondeo id ſufficienter oſten-
ſum ſuperiori capite; nec velim mihi negotium eſſe cum iis qui
nihil dictum volunt, niſi decies dictum fuerit. *Occidit miſeros crambe*
repetita magiſtros. At, ſi hæc bona ſunt nunc merè ſæcularia, & ſæ-
culares qui ea poſſident, quomodo ergo Electi dicuntur Geeſtelijc-
ke Heeren/ uyt de Geeſtlickheydt. Reſpondeo Ordines ipſos de-
claraſſe D.D. Electos non haberi pro Clericis aut Eccleſiaſticis, ſed
pro laicis & ſæcularibus, ut vulgò loquuntur, quanquam priſca no-
mina diſcretiva inter tria membra illius Provinciæ remaneant, quo-
modo ipſa tota, de Sticht appellatur. Appellantur hæc Collegia
Clerus, ſive de Geeſtlijckheydt / non ejus reſpectu quod nunc ſunt,
ed illius quod olim erant ſub Papatu: ut ſtultè profanus ſit S. P.
lum huc obtorto collo trahit dictum Chriſti Joh: 111, 6. *Quod natum*
ſt ex Spiritu, Spiritus eſt, ut inde probet D.D. Electos homines eſſe
Eccleſiaſticos, ſive Geeſtlijcke Heeren/ eo quod Collegia ex quibus
liguntur retinent priſcum nomen & catachreſticè *Clerus*, ſive de
Geeſtlijckheydt dicuntur.

Dices, Per Miniſtros Eccleſiæ Reformatæ poſſet obtinere intentio
generica fundatorum in uſu parili & analogo, quæ non obtinetur
er hodiernos Canonicos; Reſpondeo primò ſi adhærendum eſt in-
entioni & menti fundatorum, illos ipſos actus vitioſos ad quos ſuas
undationes deſtinarant, eſſe igitur retinendos & exercendos, Calvino
udice. Nec enim ſuperſtitum eſt violentis interpretationibus ſenſum
ffingere supremę voluntati Donatorum aut Teſtatorum, eorum men-
i planè contrarium; Sed ſi ſuprema illa voluntas tenenda ſit, & vi
lius aliquid agendum vel poſſidendum, ei mordicùs erit inſiſten-
um, nec magis ab ea declinandum quam Sol à ſua linea ecclíptica.

Ad hæc inter ipſos-met Pontificios dubitatur an poſſit recedi in bo-
orum Eccleſiaſticorum uſurpatione, à determinata voluntate funda-
orum; ac prout Jeſuitæ contra Benedictinos, pertendunt bona Ec-
leſiaſtica uni ordini Monachorum ex ſpeciali fundatorum voluntate
ſſignata, poſſe tamen alijs uſibus, ſaltem analogis, à Pontifice deſti-
ari, & alij Ordini poſſidenda concredi, ita Benedictini id vehemen-
er negant adverſus Jeſuitas, quod fuſè deduxit Scioppius in *Aſtro*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

inextincto. Imò non poſſe in his bonis, reſpectu intentionis Donatorum & quoties illa attenditur, habere locum uſum *parilem & analogum*, ipſi-met Doctiſſimi Scriptores *Conſilij Theol. p. 1. pag.* 38. videntur agnoſcere. Obſervant enim Ordines Generales Fœderati Belgij, abdicando Regem Hiſpaniæ anno 1581. inter alios tyrannidis ab ipſo exercitæ actus, id ei exprobraſſe *quod novos introduxiſſet Epiſcopos & eorum ſuſtentationi deſtinaſſet partem aliquam Abbatiarum & aliarum bonorum Eccleſiaſticorum*; Unde colligunt Eruditiſſimi Conſultores, *nequidem eò extendi Supremi Magiſtratus Poteſtatem, ut fas ei ſit, etiam Papá conſtituente & approbante, aliquam portionem bonorum Eccleſiaſticorum*, van het Geeſtlijcke goet / *ab uno ordine Eccleſiaſtico ad alium transferre*, van den een Geeſtlijcken tot den anderen tranſporteren / *ad uſum parilem ſive analogum.* Quæ ſententia ſi vera ſit, omninò ceſſat commentum de uſu parili & analogo hic ſervando, quò ſæpe video recurri in hac cauſa.

Nam ſi bona Capitulorum deſtinata primitùs uſui Superſtitioſo & Idololatrico, debent transferri *ad uſum parilem & analogum*, vanden een Geeſtlijcken tot den anderen / à Clero Pontificio ad Clerum Reformatum, id oportet fieri, vel jure Succeſſionis in eodem Clericatu, vel jure ceſſionis ultroneæ ipſorum Capitulorum, vel ex authoritate Supremi Magiſtratus. Sed juxta Doctiſſimos illos Viros, talis tranſlatio non eſt in poteſtate Supremi Magiſtratus; ſiquidem ſe tyrannum præſtitit Rex Hiſpaniæ eam attentando, licet ex ordine aliàs recepto in Papatu: Non putem verò poſſe hîc jactari Capitulorum ceſſionem; cùm è contrario Capitulares ſemper ſtipulati ſint ab aliis duobus membris, & pro ſua parte autocratoricè ſanciverint, conſervationem & perpetuationem ſuorum redituum ſuique ſtatus quoad illa bona & axioma Politicum illis innexum: Multo minus Eccleſiæ Ultrajectinæ Reverendi Paſtores & Miniſtri, vellent niti jure ullo ſucceſſionis hac in parte; Abſit enim ab illis ut ſe profiteantur hæredes Canonicorum S. Martini vel S. Mariæ, quales erant in Papatu. Si jus aliquod eis competit in eam hæreditatem, debet procedere ab inteſtato; Nam juxta Domini ſui & noſtri Teſtamentum nihil inde conſequi poſſunt. Hîc verò fruſtra gannit S. P. neque hodiernos Canonicos gaudere jure ſucceſſionis, cùm præcedentibus

non ſuccedant in Clericatu, & Capitulares ſui demum ſtatus, in quo tunc erant, quà Pontificij, conſervationem ſtipulati fuerint, nec cogitarint de Canonicis Reformatis, qui tum eorum hoſtes profeſſi erant. Nam ſanè ſuccedunt hodierni Canonici præcedentibus, ut in Collegijs permanentibus, per ſubſequentia membra ſucceditur ijs qui vel viventes deſerunt Collegia, vel ſuâ morte alijs locum faciunt. Noſtri verò ſuccedunt ijs qui quondam erant Pontificij, non in Clericatu Pontificio, ſed in axiomate Politico, quod non potuit in Rep. interire, & conſequenter in bonis temporalibus ex quibus illud pendet; & prout Ordines Provinciæ illius in communi, ejus Epiſcopo vel Archiepiſcopo ſucceſſerunt, imò ipſi Papæ, jura illius in conferendis Beneficijs a d ſe trahendo. Nec Capitulares in Unione Ultrajectina ſtipulati ſunt ſuorum Collegiorum perpetuationem in Clericatu Pontificio; nam è contrario voluerunt ut ſibi ſuiſque Collegijs integra libertas religionis & veſtium ſervaretur; Sed tantum quoad bona ſua temporalia & ei adjectam dignitatem Politicam retinendam & exercendam cum eorum bonorum poſſeſſione, per ſe & eos qui ſibi ſuccederent, etſi nec Pontificij forent, nec Clerici; Quin ſtipulando ſuis Collegijs libertatem Religionis, eo ipſo formaliter cogitarunt de Canonicis Reformatis; Et quam non fuerint tunc omnes Capitulares Reformationis hoſtes, ſed plerique erga veritatem optimè animati, unde ſtatim poſt unionem Ultrajectinam plurimi ex illis nomen ſuum dederunt Eccleſiæ, liquet ex ijs quæ *cap.* 1. obſervavimus.

Quod ſi propter applicabilitatem horum bonorum *ad uſum parilem & analogum* primævæ eorum fundationi, cui omninò ſit inſiſtendum, hæc bona non poſſunt poſſideri ab alijs, quam qui pertineant ad Miniſterium Eccleſiæ Reformatæ, libenter ſcire vellem à quo temporis articulo, poſſit arceſſi jus quod ex illo principio in hæc bona, vendicatur Eccleſiæ Reformatæ quæ Ultrajecti Chriſto colligitur; Non poſſet utique repeti à tempore Reformationis inchoatæ & libertatis recuperatæ in Belgio: cùm eo ipſo tempore Capitula expreſsè & publicè ſuæ ſecuritati proſpexerint, quæ violari abſque crimine perfidiæ non poterat. Et certum eſt quod etſi Canonici & Capitulares retinuiſſent quoad ſe ſua ſacra Pontificia nec Reformati facti fuiſſent, non potuiſſent jure ſpoliari ſuis reditibus in uſum Eccleſiæ Reforma-

tæ. Terreſtria non aufert cuiquam qui regna dat cœleſtia. Nec etiam hoc jus repeti poſſet ab eo tempore quo Canonici Reformatam Religionem ſunt amplexi, quaſi abjiciendo Papiſmum & ſui Ordinis Spiritualitatem omnem, inueſtijſſent Eccleſiam Reformatam ſuo temporali; cùm tamen nunquam id in animum ſuum induxerint. Quæ hîc noto, ita malè habent S. P. ut væſanè aſſerat, nec ſine convicio contra me, hæc bona non eſſe *terreſtria*; & pertendat ſaltem minus poſſe applicari ad uſum directè contrarium ei cui priùs deſtinata fuerant, (vergebat is ad perniciem animarum,) quam ad uſum ei parilem & analogum: Sed præterea quod non diſputo, an poſſent hæc bona abſtractè & in ſe conſiderata, deſtinari uſibus pijs & ſacris inter nos, ſed an neceſſariò debeant, etiam qualia nunc ſunt, & eum in finem veniant eripienda legitimis ſuis poſſeſſoribus, & Reſp. funditùs evertenda, ut ſatisfiat avaritiæ inſatiabili eorum qui prætexunt curam animarum, (cùm bonis in illa Provincia Paſtoribus, æquè benè ac lautè ac in alijs Provincijs proſpectum ſit;) mirum eſt admitti Ultrajecti Canonicos ad Sacram Cœnam, imò ibidem in Eccleſia-Gallo-Belgica ad regimen Eccleſiæ, ſi ſtatus eorum directè pugnet cum animarum ſalute ac cura, & ſit earum peſtis & pernicies.

Interea tamen vera ratio cur improbarunt Ordines Generales conſilium Regis Hiſpaniæ in novorum Epiſcoporum inſtitutione, non inde ſumebatur quod circa bona Eccleſiaſtica ita ſit mordicùs inhærendum ſpeciali intentioni fundatorum, ut nunquam ab ea recedatur, nequidem *ad uſum parilem & analogum*; Sed ex eo quod cùm Prælati & Abbates, quorum bona attondebantur in uſum novorum iſtorum Epiſcoporum per quos Inquiſitio veniret exercenda, partem Ordinum conſtituerent, indignum erat ipſis invitis & reclamantibus ſua bona ſuumque quaſi Patrimonium eripi, ut alijs traderetur; quod erat in illo Achabo, conſilium de vinea Nabothi illi eripienda. Quod ſi Ordines Generales, quantum in ſe fuit, intercеſſerunt quominus bona Monaſteriorum Epiſcopis aſſignarentur, licet uſus videretur futurus parilis & analogus, (imò eo juſtior & ſanctior quod præſtet bona ſacra & Eccleſiaſtica inſervire ſuſtentandis Epiſcopis & Paſtoribus, quam implendis Monachorum ventribus otioſis;) quia videlicet cenſuerunt ſuum cuique eſſe tribuendum & relinquendum; quanto minus

licere

liceret Ordinibus Provincialibus Ultrajectinis, eripere Capitulis & Canonicis ſua bona, & ea Eccleſię Reformatę Paſtoribus & Epiſcopis ſuſtentandis aſſignare, habito reſpectu ad *uſum parilem & analogum* ei cui primitùs deſtinata fuerunt?

Sed quid hîc comminiſci volunt Viri Celeberrimi *uſum parilem & analogum*, cui hæc bona ſervirent, addicta uſibus ſacris Eccleſiæ Reformatæ, cum eo quem obtinuerunt ex primæva ſua fundatione, ſiquidem non major ſit parilitas vel analogia cultus Reformatarum Eccleſiarum, conformis Dei verbo, ad cultum Superſtitioſum & Idololatricum, quam lucis ad tenebras, aut veritatis ad mendacium? Abſit ut parilem & analogum cultui Superſtitioſo & Idolalatrico dicamus cultum noſtrum, illi ex diametro oppoſitum. Hæc ſanè contraria ſunt, non parilia vel analoga: Et tantum abeſt ut in eo obtineret intentio Donatorum, ut è contrario planè ſubverteretur: Nunquam enim daturi fuiſſent illa bona ſua, ſi prævidiſſent ea applicatum unquam iri illi cultui in quo rideretur Purgatorium, & rejicerentur Preces pro mortuis, Invocatio Sanctorum, Sacrificium Miſſæ, Merita operum, uſus Luminarium, quæ tantopere volebant conſervata. Novos etiam deberemus comminiſci ordines Miniſteriorum Eccleſiaſticorum inter Reformatos, ſi pariles & analogi deberent extare inter nos, Primiceriis, Sacriſtis, Presbyteris animarum, Theſaurarijs, Canonicis, Monachis, Monialibus &c. Ac ſicut certum eſt non potuiſſe Eccleſias Chriſtianas pertendere ſibi deberi ad uſum parilem & analogum, bona & reditus Sacerdotum & Veſtalium inter Ethnicos, etiam ubi authoritate publicâ Idolorum cultus fuit exterminatus, ita mihi alienum videtur ab omni ratione aſſertum eorum qui pertendunt neceſſariò deberi Eccleſiæ Reformatę omnia bona Pſeudo-Eccleſiaſtica Papatus, quod priori ſuo uſui parilem & analogum apud Reformatos conſequi poſſint. Mennonitæ, Remonſtrantes, forte & Sociniani in Belgio, poſſunt habere ſua loca communia, ſua peculia, ſuos reditus, ad conſervationem & propagationem ſui cultus: Quod ſi omnis ille cultus ipſis interdiceretur à Magiſtratu, vel etiam ſuapte intercideret & ceſſaret, Eccleſiæ Reformatæ non poſſent pertendere ea bona ſua eſſe, eo quod cultui parili & analogo apud ſe quirent applicari; Sed proculdubio tanquam vacantia

fiſco addicerentur, & liberum foret Magiſtratui de illis pro ſuo lubitu diſponere.

Nec valet inſtantia S. P. à Xenodochiis quæ apud nos potuerunt redigi ad uſum parilem & analogum: Nam 1. non diſputamus de eo quod poſſit fieri, ſed de eo quod neceſſariò faciendum ſit. 2. Xenodochiorum fundationes habent pro ſcopo proximo & directo rem juſtam & licitam, nempe pauperum ſuſtentationem; adeoque licet ex opinione merendi & metu Purgatorii plerumque olim natæ ſint, & in quibuſdam ſuis circumſtantiis fuerint vitioſæ, tamen quoad rei ſubſtantiam bonæ fuerunt & legitimæ; Quare non diriguntur inter nos ad uſum aliquem analogum ei cui à Donatoribus deſtinatæ fuerant, ſed ad eum ipſum quem intenderunt & ſpectarunt, reſectis tantum authoritate Supremi Magiſtratus, vitioſis circumſtantiis, quæ in Rep. Reformata non poſſunt nec debent obtinere. Secus ſe res habet in fundationibus deſtinatis ad cultum Superſtitioſum & Idolatricum; illæ enim quoad ipſius rei ſubſtantiam penitùs ſunt vitioſæ, & tales circa quas non poteſt obtineri uſus ille primarius quem intenderunt fundatores. Æquè extravagans eſt quod ſubdit, novas Papiſtarum dotationes Xenodochiorum aut Gerontotrophiorum, qualem commemorat neſcio cujus Nobilis mulieris de Schroopeſteyn Ultrajecti, fiſco addicendas, ſi hæc de quibus diſſero, in hicum ſint referenda; Nam quoad donationes pias in uſum pauperum, illæ debent penitùs vigere in Rep. quo ad ſuum effectum, Magiſtratu non attendente ad affectum aut conſilium Donatorum: Sed diſpar eſt ratio fundationum factarum ad cultum vitioſum & illicitum: Nam talia bona poteſt Magiſtratus pius, eo cultu abrogato vel deficiente, addicere ſuo fiſco, ut factum ab Imperatoribus Chriſtianis de bonis aſſignatis antea cultui & templis Idolorum; quamvis & ea poſſet, ſi ita ei videretur, aſſignare uſibus piis. Quinetiam in Fœderato Belgio reſcinduntur per Edicta publica omnes donationes & dotationes quæ fierent à Pontificiis ad cultum Pontificium, & ſtatuitur talia bona devolui ad Donatorum hæredes proximos ab inteſtato; qua de re adhuc ante biennium novum Placitum Ill. ac Pot. Ordines Hollandiæ promulgarunt.

Dices, Hæc bona debent cedere Miniſterio ſacro, quia ſunt data ad cu-

ad curam animarum; Reſpondeo data quidem fuiſſe ad curandas animas mortuorum in Purgatorio laborantes, non verò ad viventium paſcendas pabulo Verbi Divini, & dirigendas ad eum qui via eſt veritas & vita; Et quam certum ſit nullam animarum curam, juxta Pontificios, Capitulis & Canonicis incumbere, ſuo loco abundè viſum. Nec quicquid olim ad animarum curam qualemcunque in Papatu deſtinatum fuit, eo ipſo magis debetur Miniſterio Eccleſiarum Reformatarum, quam ſomniaveris debita fuiſſe Ecclesiæ Chriſtianæ naſcenti Jeroſolymis & in Judæa, omnia bona Sacerdotum & Levitarum, & ipſius Templi Hieroſolymitani Gazophylacium & Anathemata. Id enim quam foret abſurdum ſtatuere, vel illi vident qui *nondum ære lavantur*. Quod ſi quis dicat iſta de jure pertinuiſſe ad Eccleſiam Chriſtianam, licet *de facto* nunquam ea petierit aut poſſederit, mihi videbitur perinde loqui ac ſi diceret cum Papicolis, B. Petro de jure quidem competijſſe poteſtatem exauctorandi Neronem & alium ejus loco ſubrogandi, ſed tamen de facto illam non exercuiſſe, quod alia tempora alios mores poſtularent. Quid quod inter Præbendatos Ultrajectinos Johannitas, erant nonnulli qui reliquis ſacra adminiſtrare & eorum animas curare tenebantur? Conceditur tamen eorum Præbendas poſſe conferri hominibus merè Laicis, & quibus nihil incumbat ſpectans ad Miniſterium ſacrum in Eccleſia.

Non improbo ſanè quod in hac noſtra Provincia authoritate publicâ obtinet, ut Eccleſiis ſingulis relinquatur ad uſum Sacri Miniſterij, quicquid olim fuerat in ſingulis Pagis & Cappellis ſive Sacellis reſpectivè deſtinatum, ſenſu Pontificio, animarum curæ: Verumtamen non hæc cedunt Miniſtris Reformatis ceu ſucceſſoribus & hęredibus Sacrificulorum Miſſificorum, ſed quod cùm horum vel fugâ, vel exilio, vel morte, poſt Miſſæ abolitionem, caduca facta fuiſſent & in fiſcum redigenda, placuit Supremo Magiſtratui, tanquam Eccleſiæ nutritio, ea de novo Deo conſecrare ac deſtinare, & relinquere in ſtipendium verorum Paſtorum, luporum illlorum loco ſubſtitutorum. Judicarunt enim Patres Patriæ, quod ſi pro ſuo jure illa bona diſtraherent & alijs uſibus applicarent, ut factum in alijs Provincijs, ſtatim laborandum eſſet de ſtipendijs ſacri Miniſterij aliunde quærendis, aut cives & ſubditi capitatim gravandi forent illis ſumptibus, ex regula Pauli

Gal.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

Gal. VI, 6. *Communicet qui inſtituitur in ſermone cum eo qui ſe inſtituit omnia ſua bona*; quorũ utrumque difficilius foret quam ſtatim illi uſui ea bona aſſignare quæ olim parum ſanâ liberalitate incolarum Provinciæ, Idolo & Superſtitioni conſecrata fuerant.

Dices, Hæc bona pertinent ad pauperes, in quorum uſum fuêre conſecrata, quare citra Sacrilegium aliis & profanis uſibus non poſſunt applicari; Reſpondeo, hîc æquè prætexi pauperes ac olim à Juda, cum indignaretur jacturam unguenti, cujus pretium in ſuis loculis habere maluiſſet. Quamvis autem ex veteri diſtributione quarta pars Ærarii ſacri cederet pauperibus, tamen ea lex jam obſoluerat tempore illarum dotationum & fundationum, quibus Canonicorum Collegia & Capitula nituntur. Vix ulla earum meminit pauperum; nec ſi quæ pauperes commemorant, alios intelligunt quam Monachos, pauperes illos ſpiritu, ſi Deo placet, qui in votiva ſua paupertate, ſive potiùs abdicatione omnis proprietatis, quò diteſcant in communi, perfectionis Evangelicæ apicem conſtituunt. Et qui Canonicorum præbendas voluerit conferre, vel cum Eleemoſynarum publicis collectis, vel cum Noſocomiorum & Gerontotrophiorum aut Orphanotrophiorum reditibus, is mihi terræ cœlum miſcere videbitur. Sanè ipſas-met Decimas, quas Angli quidam, ut D. Prideaux *diatribâ de Decimis*, de jure divino deberi voluerunt, negant & Pontificij Doctores & Angli Proteſtantes, ipſe Prideaux nominatim, habere rationem Eleemoſynarum quæ in pauperes erogantur, ſed volunt illas deberi Miniſtris Eccleſiæ vice *competentis ſtipendij*: Quare multo potiori jure negabunt Eleemoſynis accenſendas eſſe pingues illas dotationes Canonicorum; eò magis quod in quibuſdam Capitulis non alij quam Nobiles & Illuſtri familiâ orti, ad earum fructus percipiendos admittantur. Ideo in Concilio Bituricenſi anno 1584. celebrato, cujus Canon refertur à Bochello *Decret. Eccl. Gall. lib. 7. tit. 7. cap. 1.* dicitur *ſancto conſilio receptum* eſſe *ut Patrimonia Eccleſiis aſſignarentur, ne dum egeſtate compulſi Miniſtri Eccleſiæ victum quæritarent, ab Eccleſiæ Miniſterio diſtraherentur; quia ſcriptum eſt non eſſe alligandum os bovi trituranti, & ait Apoſtolus dignum eſſe operarium mercede ſua.*

Dices, Bona ſunt Eccleſiaſtica, ergo Eccleſiæ Reformatæ uſibus debent applicari; Reſpondeo nec antecedens verum eſſe, nec conſe-

quentiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

quentiam legitimam. Quam nonniſi æquivocè & catachreſticè Eccleſiaſtica dici poſſint, viſum ſuo loco. Quod ſi deberet vigere diſtinctio Beneficiorum in Eccleſiaſtica & Sæcularia, qualem obtinuiſſe tempore Karoli Magni pertendit contra Jeſuitam Sirmondum Petrus Aurelius *Orthodoxi ſui p. 2. cap. 7.* hæc potius Sæcularia quam Eccleſiaſtica dici mererentur. Et ſi quid habuerunt ſpecie tenus Eccleſiaſticũ, id omne eis ablatum eſt eâ ſæcularizatione Capitulorum, quam antea demonſtravi legitimè proceſſiſſe; prout deinceps illa bona, non alio loco cœperunt haberi quoad tributa, onera & vectigalia publica, quam aliorum incolarum prædia. Et cùm D. D. Ordines illius Provinciæ ſibi vendicarint omnia jura Papæ in hæc bona, eo ipſo ſibi poteſtatem fecerunt ea ſæcularizandi & conſtituendi in libero commercio, prout ſæpè uſu venit in Gallia, ut adſtipulante Pontifice, ex temporali Eccleſiaſticorum pars aliqua ſæcularizetur & publicè diſtrahatur in uſum Ærarij Regij. Quid quod in tabulis publicis Provinciæ Ultrajectinæ refertur diſertis verbis, fiſco addictas (*geconfiſqueert*) fuiſſe præbendas quorundam Canonicorum qui ad hoſtes transfugerant, nominatim Buchonis Ayta, Huberti de la Toire & Maximiliani Morillon, quas Ordines ſuo decreto condito 1. Julij 1580. aliis bonis Patriotis conferendas decreverunt? Ne dicam quod infinitis legibus ac exemplis poſſit probari directum & ſupremum Dominium in talia bona competere Supremo Magiſtratui, qui de illis queat diſponere ut libuerit: Unde videmus ab Imperatoribus & Regibus, ipſi Eccleſiæ Ultrajectinæ ſæpè data fuiſſe talia bona, quæ jam Eccleſiaſtica erant.

Toto cœlo verò erraverit, qui putarit omnia bona Pſeudo-Eccleſiaſtica Belgij Fœderati pertinere ad Eccleſiam Reformatam in Belgio, ejuſque tantum uſibus piis & ſacris applicanda. Nam primò id nunquam ſenſiſſe Proceres hujus Belgii, res ipſa multifariàm loquitur; Etenim pleraque ex illis vendita & diſtracta ſunt in uſus merè Civiles & Politicos: Et ſi quæ reſtant, eorum diſpenſatio & adminiſtratio, nullo modo eſt penes Eccleſiaſticos; cùm tamen diſpenſatio & adminiſtratio bonorum verè ſacrorum & Eccleſiaſticorum pertineat ad Diaconos Eccleſiæ, quibus ex primæva eorum origine τὰ βιωτικὰ & res pauperum, cujuſmodi dicuntur eſſe omnia bona Pſeu-

do-Eccleſiaſtica, in Eccleſia commiſſa ſunt, ut patet ex Diſciplinæ ſancitæ in Synodo Nationali Dordracena *articulo* 25. Sed eſt penes Supremum Magiſtratum, non utique ut Oeconomum Eccleſiæ, ſed ex proprio ſuo jure, ex quo habet illos reditus in ſuo Ærario. Quin-etiam, ſi derepente, quod Deus avertat, Proceres ſic abalienarentur ab Eccleſia Reformata, ut nollent ipſius Miniſtris ſtipendia ampliùs ex publico procedere, adeo ut juxta priſcum ordinem, tenerentur ſingula membra Eccleſiæ, ut etiamnum obtinet multis in locis apud Reformatos, ad conſervationem Miniſterii capitatim conferre ſuam quotam, ut vulgò loquuntur, poſſet quidem Eccleſia queri de Magiſtratu, quod ſuis bonis non uteretur ut deberet fieri à Magiſtratu verè Chriſtiano & Eccleſię nutritio; ſed non poſſet adverſus illum tumultuari, quaſi ſibi eripientem, quod ſuum foret. Alia enim eſt culpa illius qui non dat de ſuo ubi deberet, alia ejus qui aliena rapit & Nabotho ſuam vineam vult eripere; Prius opponitur Liberalitati & Beneficentiæ, poſterius verò æquitati & Juſtitiæ; adeoque gravius eſt.

Deinde putem hîc duo extrema æquè vitioſa eſſe declinanda; Alterum eſt Browniſtarum & Anabaptiſtarum, qui putant nefas eſſe Orthodoxis Verbi Divini Miniſtris, vel ſacra publica peragere in Templis olim Idolo conſecratis, vel ſtipendia conſequi ex bonis quondam Idolothytis, qualia ſunt Beneficia ſive potius Maleficia Pontificia; Et hoc ſolùm ſibi volebant, iſtud extremum declinaturi, D. D. Ordines Ultrajectini, (anno 1580. quo luctabantur inter ſe & cum priori membro circa diſpenſationem bonorum Eccleſiaſticorum in illa Provincia,) ſuo reſponſo, oppoſito memoriali quinque Capitulorum, *ad art.* 32. *fol.* 50. *a.* Voluminis Actorum quod inſcribitur, **Regiſter van de Reſolutien genomen by de Staten van Lande van Utrecht nopende de Geeſtelickheyt ende hare goederen**/ ideſt *Volumen Reſolutionum Ordinum Provinciæ Ultrajectinæ, circa Clerum & illius bona, incipiens à* 6. *Maij* 1580. Nam profitebantur quidem ſibi fas eſſe/ **geoorloft is**/ hæc bona convertere ad magis pios uſus quam quibus eouſque inſervierant, & ſtatuebant melius fore ſi cederent iis qui poſſent alicui uſui eſſe Reip. quam ſuſtentandis inutilibus terræ ponderibus & talibus hominibus qui Sæculo & Eccleſiæ æquè ſint inepti; **die noch tot Godts dienſt / noch tot die weerelt**

weerelt ofte de Republicque nut en zijn; Sed tamē non dicebant illa neceſſariò piis Scholę & Eccleſiæ uſibus eſſe applicanda. Alterum eorum qui vellent & illa omnia Templa, & illa omnia bona, non tam ex liberalitate & munificentia publica indulgeri cultui puriori & Miniſterio Eccleſiæ Reformatæ, quam ipſo jure illi deberi, nec ei citra injuſtitiam & ſacrilegium poſſe denegari. Hîc medium tenuêre beati. Etenim certum eſt Magiſtratum Orthodoxum ratione officii ſui, potiùs teneri tanquam nutritium Eccleſiæ, ſuppeditare ex publico ſtipendia Miniſtris Orthodoxis, quamdiu ejus ærarium id ferre poteſt, quam id oneris ſingulis Civibus aut Eccleſiæ membris pro ſua cuique parte, ad quod aliàs tenerentur, relinquere. Certum eſt quoque poſſe authoritate publicâ, illa bona olim poſſeſſa ab Idolorum Sacerdotibus, aſſignari in ſtipendium legitimorum & bonorum Paſtorum, & ab illis eum in uſum abſque ſcrupulo uſurpari. Imò mihi quoque certum videtur quod ubi Supremus Magiſtratus ex illis bonis Pſeudo-Eccleſiaſticis portionem aliquam ſemel aſſignavit uſui Eccleſiarum & Scholarum, (prout Ill. ac P.P. Ordines hujuſce Provinciæ ſolemni ſuo Decreto facto circa Academiæ erectionem pridie Eidus Julij Juliani anno 1614. ei ſolenniter devoverunt & conſecrarunt *bonam eorum cenſuum partem, quos*, inquiebant, *Majores noſtri, homines liberales pro modo rerum ſuarum, animo quidem bono & religioſo, ſed errorum tenebris implicito ac lapſante, in* ἀσκητήεια *Monaſtica quondā contulerant*; quâ ratione profitentur ſe iſta impenſuros *in uſus longè meliores*;) id debet ei ita eſſe ratum, ut nequeat citra culpam in Deum iſta aliò divertere: Nam quod ſemel placuit poſtea diſplicere non debet. Sed qui aſſeruerit omnia bona Pſeudo-Eccleſiaſtica in Papatu deberi ipſo jure divino & naturali Eccleſiæ Reformatæ & piis illius uſibus, perinde mihi videretur loqui ac ſi diceret, Eccleſiæ Reformatæ, eo quod ſtuduit Eccleſiæ Romanæ abdicare ſordes, vitia & errores, deberi illam ipſam peſtem, quæ Sedem Romanam primùm corrupit & perdidit. Ne dicam de invidia quæ hoc dogmate conflaretur Eccleſiis Reformatis degentibus inter Pontificios & ſub Pontificiis Magiſtratibus. Et ſanè prout nemini hactenus perſuaſum fuit, omnia Templa, olim Pontificia, poſt Miſſam exactam deberi in Belgio Reformatæ Religioni; cùm plura ex illis multis in locis ſint planè ſæ-

cularizata, deſtructa, diſtracta, in privatas laicorum habitationes mutata, quædam uſibus civilibus applicata; non video cur potiori jure omnia bona illis annexa & cultui ſuperſtitioſo deſtinata, Eccleſiæ Reformatæ forent concedenda.

An potiori jure deberentur Eccleſiæ renaſcenti Idolothyta Papatus, quam ei naſcenti Idolothyta Gentilium, quæ Principes Chriſtiani in ſuum fiſcum redegerunt? An Eccleſiæ Reformatæ poſſent attribui bona, quibus innexæ ſunt dignitates ac Juriſdictiones Politicæ & jus gladii, cujus Eccleſiæ Miniſtri, quà tales, capaces non ſunt? Quid ſi hodie ſingulari Dei gratiâ Rex Galliæ Reformationem admitteret, & inſolentem ac ſanguinarium illum ſuum Clerum, qui hoc tempore communicatis cum Patriæ hoſtibus conſiliis, ſtudet turbas in Regno excitare & noſtrorum haurire ſanguinem quem ſitit, penitùs exauctoraret, ac Miſſam cum omni ſuo apparatu miſſam in æternum faceret, an Miniſtri Reformatarum Eccleſiarum jus inde haberent repetendi tanquam ſua, omnia bona illius Pſeudo-Cleri quæ revera tertiam Regni partem complectuntur? Quod ſi omnia bona Eccleſiaſtica Ultrajectina, debent cedere illius Eccleſiæ Venerando Presbyterio, eo quod Eccleſiaſtica fuerint, nec potuerint ullo modo ſæcularizari, cur non æquè ſibi vendicabit ceu ſua, bona Equitum Marianorum, Joannitarum, Monialium, Monachorum, reditus & jura quondam Epiſcopi, ac Beneficia & Præbendas Canonicorum, de quibus diſputamus? Quod ſi omnia Jura temporalia Eccleſiæ Ultrajectinæ ſub Papatu, vi Reformationis ſequutæ, ipſo jure devoluta ſunt ad Eccleſiam Reformatam quæ ibi floret, cur non etiam ſuas faciet omnes veteres prætenſiones Epiſcopi Ultrajectini in varias Provincias Fœderati Belgii, juxta quas forte etiam hæc noſtra ad *regiones ſuburbicarias* Romæ Belgicæ veniret obtorto collo retrahenda, & in noſtro Goerectho, in quo & mihi villula eſt, fierem cenſitus Presbyterii Ultrajectini? Sed ſi ipſo jure omnia bona Pſeudo-Eccleſiaſtica Papatus ita debentur Miniſterio Eccleſiæ Reformatæ, ut uſibus profanis & civilibus applicari, aut ab hominibus merè laicis poſſideri, nequeant, cur ergo Eccleſiæ Reformatæ toto Belgio, non movent ſuis Magiſtratibus actionem *repetundarum*, ad illa ſua bona, quæ alienavit, diſtraxit, publicavit, tandem aliquando recuperanda?

randa? Nam Eccleſia, juxta Canoniſtas, hoc reſpectu eſt ſemper minorennis, (licet pluſquam majorennis in rebus fidei, in quibus illi infallibilitatem tribuunt,) adeoque contra eam præſcribi non poteſt. Quidni Paſtores deſinant ex hoc principio ſubmiſsè petere à ſuo Magiſtratu quæ ad ſua ſtipendia faciunt, cùm jus habeant ab illo repetendi quæ ſua ſunt, & ſe eâ ratione iſti duriori tutelæ ſubducendi? Adeo videlicet periculi plena eſt hæc doctrina, & talis quæ in hoc Belgio pluribus turbis & ſeditionibus amplam queat materiam ſuppeditare, imò & bellum ſacrum contra Superiores excitare. Sanè qui hoc novum & in Eccleſiis noſtris hactenus inauditum dogma velit urgere, ex principiis Juris Pontificii, non ex regulis Sacræ Scripturæ, illa omnia Papatus Idolothyta deberi Eccleſiæ Reformatæ & ſacris illius uſibus, is debebit non tantum notam inurere ſacrilegii & impietatis omnibus Proteſtantibus Imperii, qui extra Miniſterium Eccleſiaſticum beneficia tamen quondam Eccleſiaſtica uſurpant & poſſident abſque ſcrupulo; ſed etiam aſſentiri Pontifici Romano, intercedenti Paci Germaniæ propter alienationem & ſæculariżationem plurimorum bonorum Eccleſiaſticorum; & cenſoriam virgulam ſtringere in Principes Euangelicos, qui hanc ſæculariżationem & alienationem æternam in ſuum uſum & dominiorum ſuorum incrementum, per illius Pacis inſtrumentum ſtipulati ſunt; Imò debebit utroque pollice laudare bellum ſuperioribus annis excitatum in Germania ad bona Eccleſiaſtica repetenda: Etenim non aliter potuit Imperator ex ſuæ conſcientiæ officio, ſupponendo Eccleſiam Romanam eſſe veram Eccleſiam, quam bellum illud ſacrum movere adverſus Proteſtantes, quod quantum damni intulerit toti Europæ, ſatis liquet. Quinetiam ex illo axiomate ſequitur nullam Reformatis in Bearnia cauſam querendi fuiſſe quod anno 1618. Rex Galliæ, ex conſcientiæ ſuæ, ut ferebatur, dictamine, voluerit reſtitui Clero Pontificio bona Eccleſiaſtica Principatus Bearnenſis, quæ ipſius avia Joanna Labretana addixerat partim uſibus Eccleſiæ Reformatæ, partim Reip. neceſſitatibus, partim quarundam nobilium familiarum patrimonio. Quantum enim juris hac in parte convenerit ab ævo Principibus & Regibus Chriſtianis circa iſtiuſmodi bona Eccleſiaſtica, ut potuerint ea dare & addicere quibus placebat, poſſet

probari infinitis exemplis in Regno Galliæ, ex quibus Fileſacus Sorboniſta, impudenter conſarcinavit ſuum opuſculum de *Sacrilegio Laico*, quod læſæ Majeſtatis in illo regno multis argumentis convincere in promptu foret, ſi id nunc ageremus: Patet id ipſum ex pluribus dotationibus Ultrajectinis, ſuo loco nobis relatis in quibus Reges & Cæſares alia Monaſteria, aliaſque Eccleſias, Ultrajectinæ dederunt ac ſubjecerunt: Et ubi Ordines Generales exprobrarunt Regi Hiſpaniæ quod Monaſteriorum bona ex parte addiceret novis ſuis in Belgio Epiſcopis, non fuit ideo quod id Regibus in ſuis Regnis non liceret, ſed quod Philippus non eſſet Rex in Belgio, nec talia poſſet moliri citra conſenſum Ordinum, quorum pars erant illi ipſi Prælati & Abbates quos tyrannicè ſpoliabat.

Neque hic debeo præterire quid occaſione negotij Bearnenſis, ex quo poſtea triſtiora plurima evenerunt Euangelicis Galliæ, ſcribebat 18. Aug. 1618. Ill. Pleſſæus, quem Palæmonem in hac cauſa nemo Reformatus jure detrectaverit. *Revera*, inquiebat, *neſcio quid hic ſcrupuli pro conſcientia moveatur. Henricus VIII. Rex Angliæ, jurgio cum Papa implicitus, manus injecit in bona Eccleſiaſtica, eorumque partem ad ſuum Dominium revocavit, partem diſtribuit inter Nobilitatis ſuæ præcipuos; quod continuatum fuit à Rege Edwardo VI. ejus filio, qui Eccleſiam in ſuo regno reformavit. Ei ſucceſſit Maria, ſoror ejus conſanguinea, quæ utut vehementer infeſta Reformationi & uxor Philippi Hiſpaniarum regis, reſtituendo Religionem Romanam, intactam planè voluit relinquere illam bonorum iſtorum diſtributionem, quam Reges, pater & frater ejus fecerant. Et hactenus fuit oſtenſum Principes Auſtriacos, in hæreditariis ſuis ditionibus, pari caſu, res reliquiſſe eo in ſtatu in quo eas repererant. Quod amplius eſt, anno 1579. Rex Philippus tractans de pace cum Ordinibus Belgii utriuſque religionis, mediante Ioanne Auſtriaco, convenit ſpeciatim articulo expreſſo, penes Ordines Hollandiæ & Zelandiæ manſuram adminiſtrationem bonorum Eccleſiaſticorum, ab ipſis traductorum ad uſum ſuæ religionis & Reip. neceſſitates.* An quæſo qui ſic loquebatur, & nullum gravamen conſcientiæ putabat poſſe prætexi ex parte Regis Galliæ ad eripienda ſuis Bearnenſibus bona Eccleſiaſtica, cenſeret hodie ad Conſcientiam Ordinum Ultrajectinorum ſpectare, ut bona ſimilia eripiant Canonicis & vindicent Eccleſiæ?

Ita qui edidit Roterodami anno 1647. *Motuum Britannicorum Veracem Cuſchi,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

Cuſchi, narrat in *alloquio ad Lectorem* Scotos *Parlamentarios vendidiſſe etiam Prælatorum ædes & prædia*; ut *ſic nemo detrimento afficeretur, & ſimul Prælaticiſmus funditùs erueretur: Sublato enim nido non pariuntur pulli*. Noluerunt Eccleſiæ Scoticæ hæc bona & prædia ſibi vendicare, ne per illa Prælatiſmus revocaretur; Fecerunt è contrario quicquid potuerunt ut illa bona ab Eccleſia, tanquam ei non convenientia, exterminarentur. Qui igitur alibi ſimilia vellent, jure retractus, Eccleſiæ iterum aſſerenda, vellent in Eccleſia reſtitutum nidum Prælatiſmi, & ea ſibi reſtitui in Eccleſiæ perniciem, quæ alibi purioris religionis zelotæ ab Eccleſia longiſſimè ſummoveri voluerunt: Et paullò poſt, reſponſurus criminationi eorum qui illam *Prælaticorum prædiorum venditionem*, appellabant *Sacrilegium, non minus quam olim fuerat decimarum & oblationum detentio* ſub V. T. aſſerit id demum creditum iri, ubi conſtiterit *Prælatiſmum non minus eſſe neceſſarium quam ipſius Dei cultum, & Baronias Prælaticas non minus eſſe à Deo imperatas, quam decimarum redditionem*. Sanè qui negat bona illa æquè ſacra atque Eccleſiaſtica eſſe ac decimas & oblationes V. T. ille non putat ea neceſſariò deberi puriori Eccleſiæ.

Dices tandem, Eſto, non debeantur Ecccleſiæ Reformatæ Ultrajectinæ hæc bona, reſpectu ejus quod fuerunt à primæva ſua fundatione ſub Papatu, tamen illi debebuntur reſpectu ejus quod anno 1580. 6. Junii & anno 1581. 11. Auguſti decretum fuit in Provincia, Vicariatus quinque Capitulorum exinde vacaturos, Miniſtrorum Eccleſiæ Reformatæ ſtipendiis & ſimilibus uſibus inſumptum iri, ut notatur *Conſ. Th. p. 2. pag.* 199. Verum etſi de eo deliberatum fuiſſe non dubitem eo tempore, quo Reſpub. illa variis motibus internis laborabat, prout in omni Rerumpublicarum inſigniori mutatione plures motus excitari contingit, priuſquam ſtatam & fixam ſedem nanciſcantur, non ſecus ac canes variè ſe motitant & hinc inde vertunt priuſquam ſibi commodam ſedem fuerint adepti, id tamen nunquam ratum fuiſſe eventus in hunc uſque diem comprobavit. Sed contrà cùm anno 1586. Ampliſſ. D. *Floris van Weede*, Quæſtor conſtitutus fuiſſet ſolemni Ordinum Diplomate omnium bonorum Eccleſiaſticorum quæ totâ Provinciâ deſtinabantur ſtipendio Miniſtrorum Verbi, Ludimagiſtrorum, Æredituorum &c. illiuſque Commiſſione cautum eſſet comportatum & in unam maſſam redactum iri eos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

in uſus, omnia bona Paſtoratuum, Vicariatuum, Capellarum, Fraternitatum & Æditimorum, ac quæcunque alia Beneficia in Civitate, Urbibus & Agro ad Eccleſias ſpectantia, diſertè & conceptis verbis inde excipiebantur quæ ſunt quinque Capitulorum, alleen uptgeſondert die vijf Collegien binnen Utrecht / factâ tantum mentione eorum nummorum, quos illa quinque Collegia receperant ſe de ſuo contributura in ſtipendium Miniſtrorum Ultrajectinorum, ut pote jam, ex parte ſaltem, Paſtorum ſuorum; cùm plures Canonicorum jam nomen dediſſent Eccleſiæ. Adhæc, etſi Vicariatus quinque Capitulorum Ordines Provinciæ communi conſenſu trium membrorum deſtinaſſent uſibus Eccleſiæ Reformatæ, quod factum negatur, licet fieri potuiſſe non negetur, inde non ſequeretur vel totam maſſam reliquorum Beneficiorum hos Vicariatus debuiſſe ſequi, vel neceſſariò & ex rei natura hæc bona deberi Eccleſiæ.

Quin tantum abeſt ut unquam Ordines Provinciæ illius hæc bona Capitulorum tanquam Sacra, Eccleſiæ Reformatæ addixerint, ut è contrario in id ſedulò incubuerint, annitentibus pluribus & melioribus ex ipſis Capitulis, ut totus Canonicorum ordo (utique cum ſuis bonis) reformaretur & ſæculariżaretur, nihilque amplius Sacri & Eccleſiaſtici retineret; idque proculdubio vi & efficaciâ illius articuli in Unione Ultrajectina, quem primo capite retulimus. Quò faciunt pleraque illa quę video diligentiſſimè annotata ab Authore Doctiſſimo *Theologici Conſilij, p. 2. pag. 115 & ſeqq* quamvis ea referat ad invidiam Capitulorum, & cum nota publica ſuæ Provinciæ, ac ſi alia duo membra, penes quæ erant *arma realia*, ut loquitur *pag.* 114. fidem datam Capitulis publicè violaſſent, & ſocietatem Leoninam cum illis iniiſſent; cùm tamen illa omnia quæ notat, ex ipſius-met Fœderis Ultrajectini viſceribus proceſſerint, & ab ipſis-met Capitulis cum aliis duobus membris ſancita fuerint. Igitur ad ſæculariżationem eorum cum ſuis bonis conteſtandam publicè inſerviit, 1. Quod anno 1580. deſiit & interiit omnis eorum juriſdictio ſpiritualis ac Eccleſiaſtica per totam Provinciam; 2. Quod eodem anno conventum fuit nullum amplius Epiſcopum ab illis electum iri; 3. Quod anno 1581. Papæ authoritas per totam Provinciam & ab ipſis Capitulis fuit ejurata,

ejurata, & ipſi ablatum quicquid antea juris ſibi tribuerat in Collatione Canonicatuum, idque inter Ordines diſtributum; 4. Quod abrogatus fuit omnis cultus Pontificius in quinque Eccleſiis Collegiatis; licet enim reclamarint quidam Canonici Pontificij, tamen hac in re prævaluerunt Reformati ex illis, cum aliis duobus membris Provinciæ, adeo ut ipſa Capitula, quod ex Actis publicis mihi liquet, ſe ſubjecerint hac in parte Ordinibus Generalibus; 5. Quod de qualitate beneficiandorum, ſive eorum quibus beneficia erant conferanda in poſterum, leges latæ fuerint ab Ordinibus, & illis Capitula omnium ſuorum bonorum deſcriptionem tradere debuerint, ne quæ communia facta erant & publica per Collegiorum ſæculariżationem, fraude quorundam malè affectorum Reip. interciperentur & perirent. Id enim prædicti Ordines ſæpiùs declararunt Capitulis, non aliò ſpectare, quam **tot conſervatie van haerluiden ſtaeten en goederen**/ conſervationi ſtatus & bonorum ſuorum. vide Volumen Actorum ſuprà citatum *fol.* 46. *verſo*, & *fol.* 51. *verſo*; 6. Quod Capitulares obnoxij facti ſint Juriſdictioni Civili; 7. Quod onera varia Provincialia ſuſtinere debuerint, nec gaudere amplius potuerint illâ immunitate à vectigalibus & tributis, quâ, ex lege Joſephi in Ægypto, fruuntur bona Eccleſiaſtica in Papatu; 8. Quod nefas fuerit Canonicis amplius procedere in habitu ſacro; 9. Quod anno 1585. mandatum fuerit omnibus Canonicis, qui alebant concubinas, ut eas vel ejicerent, vel ducerent; 10. Quod anno 1615. conſtitutum fuerit neminem amplius ad illa Beneficia admiſſum iri, qui Religionem Reformatam non profiteretur. Hæc ſanè omnia, quæ tam evidentem ſæculariżationem horum Collegiorum comprobant, ut ea non poſſit ab hominibus ſanæ mentis vocari in dubium, malim defendere ceu benè & legitimè facta ab Ordinibus Provinciæ, (quos inter & Capitulares ſuum locum in illis Decretis obtinuerunt,) conſequenter ad Unionem Ultrajectinam & vi illius, quam cum Religionis Reformatæ probro, ea tribuere neglectę & violatę fidei publicæ, quam reliqua duo membra Capitulis ſolemniter dederant. Nec evertit iſtam ſæculariżationem, quod aſſerit S. P. manere Canonicos, ut ante, manere item, ut priùs, hæc bona Eccleſiaſtica, adeoque nullam intrinſecam mutationem hîc contigiſſe: Nam manent Canonici nomine, &

quod erant quoad axioma in Reip. regimine, ſed non re & clericatu Pontificio: Bonaque illa dicuntur Eccleſiaſtica, denominativè tantum, non formaliter & definitivè.

Cùm autem tot publica extent documenta ſæcularizatorum authoritate publicâ, & per ipſoſmet Canonicos, Canonicorum & Capitulorum, inde liquet errare toto cœlo, qui eorum bona & beneficia, vel tanquam Sacra & Eccleſiaſtica ex rei natura, vel tanquam ab Ordinibus Provinciæ de novo conſecrata & uſibus piis deſtinata, Eccleſiæ Reformatæ Miniſterio deberi pertendunt, nec poſſe ab hominibus laicis, in uſus Civiles & ſæculares poſſideri.

Maneat ergo & hoc noſtrum argumentum in hac cauſa; Si bona Capitulorum Ultrajectinorum, neque ex primævæ fundationis intuitu, neque ex eo quod Eccleſiaſtica vulgò dicuntur, neque ex Ordinum mente & intentione, neque ex alio ullo legitimo titulo poſſunt vendicari Miniſtris, alijſque uſibus ſacris Eccleſiæ Reformatæ, ceu ad illam quà talem neceſſariò pertinentia, nihil obſtat quominus ab hominibus laicis bona cum conſcientia poſſideantur; Sed prius verum, ex iis quæ ante diſputavimus; Ergo & poſterius.

Solemnia verò ſibi delirat S. P. noſtro huic argumento ſuum opponendo, in hæc verba; Si hæc bona neque ex primævæ fundationis intuitu, neque ex eo quod ſæcularizata dicuntur, neque ex intentione Dominorum Ordinum, neque ex alio uſurpato & illegitimo titulo, queunt vindicari his Canonicis, & alijs uſibus, civilibus & profanis applicari, nequibunt quoque bonâ conſcientiâ ab hodiernis Canonicis poſſideri, nullaque ſuberit ratio cur *omnes boni Chriſtiani & Magiſtratus non debeant hanc meretricem odiſſe, deſtruere & denudare*; Sed verum prius; Ergo & poſterius. Verùm cum nullam, vel minimam, proferat ſui aſſumpti probationem, & nos ſatis ſuperque demonſtraverimus, nec bona hæc ex eorum prima fundatione, verè & propriè, ſed catachreſticè tantum & abuſivè, Eccleſiaſtica fuiſſe, & Collegia Canonicorum cum ſuis bonis legitimo modo eſſe penitùs ſæcularizata, idque Supremi Magiſtratus authoritate, tam enervis eſt aſſertio iſtius hominis, quam impudens & ſeditioſum claſſicum quod hîc canit adverſus Canonicorum ſtatum; ad quem evertendum in illa Provincia, nemo poterit populum & Magiſtratum concitare, qui Seditioſus, Perduellis, ac læſæ Majeſtatis reus, nolit haberi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

CAPUT NONUM.

Argumentum ſeptimum, ſpectans titulos varios Canonicorum, ſub quibus illa bona poſſident.

AJunt vulgò ælurum inſidias ſtruere veſpertilioni & eum velle devoratum, vel quia avis eſt, vel quia mus eſt. Haud abſimili modo nonnulli videntur agere cum Canonicis Ultrajectinis; Nam eos vellent everſos, vel propter bona quæ poſſident, vel propter titulos ſub quibus illa poſſident: Sed utrumque legitimo caret fundamento. Duobus ſuperioribus capitibus oſtendimus, eam eſſe horum bonorum conditionem, ut poſſint bonâ conſcientiâ poſſideri ab hodiernis Canonicis, Eccleſiæ quidem Reformatæ membris, ſed qui tamen nullum munus Eccleſiaſticum aut Academicum ſuſtinent: Nunc volo demonſtrare, titulos ſub quibus poſſidentur, nullatenus obeſſe eorum poſſeſſioni in conſcientiæ foro, quoniam poſt ſæcularizata Capitula, ut ea ſæcularizata fuiſſe legitimo ordine & ritu, antea demonſtratum, tituli quoque membrorum ea conſtituentium ita ſæcularizati ſunt, ut nihil amplius ſpirituale & ſpectans ad cultum Pontificium notent, ſed inſerviant tantum connotandis diſtinctis portionibus iſtorum bonorum, quas quiſque ſuo loco & ordine poſſidere debet; & quod vellet S. P. eo caſu alia nomina adinventa & adhibita fuiſſe, eſt indicium ingenij nodum in ſcirpo quærentis; quaſi facilius non ſit veteribus uti, quam nova reperire.

Cùm enim ſub Papatu, quando Spirituale & Politicum conjuncta manebant, portiones Collegiatorum in his bonis fuerint inæquales, & etiam in ordine ad regimen Politicum, pro ratione ſuarum illarum portionum, dignitas & authoritas poſſidentium major vel minor extiterit, non potuerunt Collegia retineri poſt eorum ſæcularizationem, quin illa inæqualitas & portionum & dignitatum & ordinis ſervandi in ſuis Conventibus unà retineretur; Nihil enim debuit commodè, vel potuit juſtè, novari in iſtis Collegijs, quoad eorum axioma Politicum & Civile in Rep. Et ſic quoniam illorum membra ſingula communi nomine non poterant exprimi, retenti ſunt priſci tituli, *Præpoſitorum, Archidiaconorum, Decanorum, Theſaurariorum, Scholaſticorum,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

Canonicorum, *Capitularium*, *Præbendariorum*, *Collegiatorum*, *Sacriſtarum*, *Vicariorum*, & ſimiles (hoc enim ordine fuiſſent in aſſignando ſtatu quæſtionis numerandi, ſi ſcrupuloſè quique ſuo loco nativo reponendi veniſſent) quibus nihil formaliter Spirituale & Eccleſiaſticum ampliùs ſignificatur, ſed tantum deſignantur & diſtinguuntur perſoquæ retinent & obtinent, quoad Temporale & Politicum, quicquid olim ſub illis titulis, ab hominibus eos uſurpantibus ſenſu Pontificio & Eccleſiaſtico, cum ſua Pſeudo Spiritualitate poſſidebatur; Ægrè deſcendo ad hanc Theologiam nominalem, de qua jam olim fuſiùs diſſerui in Apologia Optimatum Sylvæducenſium, & alibi; Sed tamen quia eò deducor neceſſariò, & video magno crimini verti Canonicis hos titulos, de illis accuratiùs dicendum eſt. Tam multa autem hîc occurrunt obſervanda, ut non tam ſim ſollicitus de eo quod dici poſſit ad horum nominum excuſationem, quam impeditus in delectu habendo eorum quæ maximè ad rem faciant.

Primò autem miror jure merito cur potiùs hæc nomina improbentur in Præbendarijs quinque Capitulorum, quam in alijs utriuſque ſexus, ex Marianis & Joannitis, nec-non quinque Virginum Monaſterijs, quos, ut ſuo loco viſum eſt, nulla Ciconia pinſit à tergo, nulla vexat cenſura. Similia enim iſtis nomina retineri ab illis, antea demonſtravi. Imò putem nemini futurum fraudi inter Reformatos nomen Canonici Ultrajectini, ſi demonſtravero Virgines Reformatas, poſſidentes Beneficia & Præbendas olim aſſignatas Nonnis in Papatu, expreſſè ac nominatim ſtatui & dici *Canonicas*, ex decretis & ordine Ill. & P. P. Ordinum Ultrajectinorum: Ut hîc ſubeat mirari lapſum mnemonicum, memorioſiſſimi aliàs ſcriptoris *Frater. Mar.* contra me, quod illius ſui libri *pag* 442. in hæc verba eruperit; *Quod ſint Ultrajecti Collegia Canonicorum fœminei ſexus, fateor me ignorare*; niſi forte voluerit ludere in re ſeria, & ideo negare dari iſthîc collegia *Canonicorum fœminei ſexus*, quod Canonici nequeant eſſe vel dici fœminini generis. Aliàs enim in Reſolutionibus publicis Provinciæ illius, factis 6. Julij 1580. & quibus aliàs Canonicorum adverſarij volunt multum eorum priſcæ dignitati deceſſiſſe, id lego conceptis verbis *art.* 15. **Item dat men Jouffrouwen Conventen/ generalijck maken ſal Canoniſſen/ nae die Gereformeerde Religie / ende getal**

de getal reduceeren nae dat die goederen ſullen mogen dragen/ mits dat die vergeven ſullen worden naer ouder gewonte/ en datmen deſe ſal doen hebben eenige bequame Miniſters/ Predicanten ofte Leeraers/ die haer tot ſeekere tijden leeren ofte in Godts Woordt inſtitueeren ſullen. Quod *Conventus Domicellarum, ſint generaliter mutandi in Canonicas Reformatæ Religionis. Et quod earum numerus ſit reducendus quo uſque beneficia illa ferre potuerint, quæ cæteroquin juxta veterem ritum conferentur; quod iſtæ ſint habituræ quoſdam aptos Miniſtros, Concionatores aut Doctores, qui certo tempore eas doceant Dei verbum & ex illo inſtituant*: Articulis verò ſequentibus cavetur, ut ſingulorum Conventuum quarta pars abeat in kijnder-Provens, *Præbendas Infantium, art.* 16. quô forte non minus forent Canonicæ quam Canonici in herba; Ut hæ virgines nubentes, abeant ex Conventu, & earum beneficia, ceu vacantia alij conferantur, *art.* 17. Ut in Conventum porrò venientes pro Iſagogico perſolvant quantum Præbendæ ſuæ feret annuus reditus, *art.* 19. Ut modeſto veſtitu utantur, non auro, non ſerico, *art.* 20. Ut etiam Monaſteria Virginum Rhenæ & Batavoduri, poſt obitum tum viventium Monialium, ad certum numerum redigantur & mutentur *in Canonicas*, quarum media pars Nobilium Virginum ſit, altera Civicarum, *art.* 25. Id autem omne video inſinuatum fuiſſe omnibus illis Monialium Clauſtris, ex decreto publico 29. Julij 1580. *art* 45. Et poſtea anno 1581. 21. Aug. concepta eſt inſtructio quæ extat ejuſdem Voluminis reſolutionum publicarum *fol.* 63. *& ſeqq.* voor de Conventen van Vrouwen/ Abdiſſen ende gemene Jouffrouwen van Outwijck/ St. Servaes/ Vrouwen-Cloſter/ ten Dael/ ende Witte-Vrouwen/ buyten en binnen Utrecht/ daernae ſy haer ſullen en ſo binnen als buyten haere Conventen/ ſoo in Religie/ Converſatie/ als de adminiſtratie van haere Goederen/ ſullen hebben te dragen; *Pro Conventibus Dominarum Abbatiſſarum & gregariarum Domicellarum*, in illis quinque Monaſterijs, juxta quam debeant ſe gerere tam in Conventu, quam extra, *in Religione, converſatione & bonorum ſuorum adminiſtratione.* Ex illius autem inſtructionis *articulo* 5. tenentur Virgines Nobiles in Conventum admiſſæ, promittere ſub juramento ſe obedituras & omnem cultum exhibituras tum ipſi Abbatiſſæ, tum

't gemeene Capittele van Jufferen / *Communi Capitulo* Domicellarum, ac Conventus *Ordinationes & Statuta* ſervaturas; & *art. 6. ac 7.* jubentur majorem partem anni hærere in Conventu, neque ex illo diſcedere abſque præfata venia vel Dominę Abbatiſſæ, vel *Prioriſſæ*, de Priorinne / illâ abſente. Sequentes articuli agunt de earum Præbendis, Accidentalibus, bonis in Conventu relinquendis & ſimilibus; *Articulo* verò 17. jus illis fit ſuam Abbatiſſam eligendi, & nubendi cui voluerint *art.* 19. interdicto illis omni exercitio Religionis Romanæ, *art.* 18.

Quid quæſo hîc ſomniabitur juſti diſcriminis inter Canonicos quos tuemur, & has Canonicas de novo ab ipſo-met Magiſtratu Supremo inſtitutas, quibus videmus aſſignari ſua Clauſtra ſive Conventen / ſua Capitula, ſuas Abbatiſſas, Prioriſſas, Præbendas, &c. & quas conſtat facere Ultrajecti partem illius Geeſtelijckheyt / ſive *Spiritualitatis*, de qua iſtæ Reſolutiones Provinciales inſtitutæ ſunt? An ergo hæc nomina plus ominis habebunt in viris, quam in virginibus, in maribus quam in ſequiori ſexu? Imò quam nullâ ratione offenderint iſti tituli Canonicorum, Proceres Reformatos illius Provinciæ, inde ampliùs liquet, quod etiam tum deliberarint, earumdem Reſolutionum quas ſæpiùs ad partes vocavi *art.* 13. Monachos ad Paulii, Carthuſianos, Ooſtbroeckianos & Regulares, reducere *in Collegium Canonicorum*, & ex illis facere *Præpoſitos* & alios *Officiarios*, habiturosque Ordines illarum Præbendarum Collationem *per turnos*: Verba articuli hæc ſunt; Item, datmen van die van S. Pauwels / Carthuyſes / Ooſtbroeck ende Reguliers / ſal reduceeren tot een Collegie van Canonicken / ende dat men de Monicken ſal geven alimentatie ende onderhout doen ſulcx als ſy nu hebben / en hen oock by den anderen laeten blyven; ende datmen de Abten ende Prooſt / ſal geven behorlijck competentie / maeckende henluyden Prooſten ende andere Officien naer advenant / ende ſullen die Staten die Collatie hebben van de voorſz. Prebenden *per turnos*. Quamvis hoc quod moliebantur Patres Patriæ novum Canonicorum Collegium, ab initio fuerit ex prioribus Monachis conflandum, tamen dubium non eſt, quin jam interdicto exercitio omni Religionis Romanæ, hoc Collegium merè Politicum eſſe vellent,

& quod ſuo tempore ſub iiſdem nominibus ſubire poſſent Reformati ex Collatione Ordinum. Sic *art.* 23. Amisfortenſes Regulares dicuntur conjungendi cum Collegio Canonicorum quod ibi erat, & faciendæ ex eorum reditibus Præbendæ, in eos conferendæ, qui vel ipſi Urbi, vel Reip. toti, poſtea inſerviturі eſſent. Tantum abeſt ut titulos quibus Collegiorum iſtorum membra deſignari & diſtingui ſolent, cenſuerint Ordines illius Provinciæ minus convenire profeſſioni hominum Reformatorum, ut è contrario eos ſervare voluerint in illis Collegijs quæ ex Monachis moliebantur, & quorum Præbendas jam animo deſtinabant nonniſi Reformatis deinceps collatum iri.

Et quam hæc nuda nomina nullam tunc præberent offenſionem vel Reip. vel Eccleſiæ, patet tum ex decreto Synodi Nationalis, ſuo loco relato, juxta quod licuit Reformatis citra notam Superſtitionis aut Idololatriæ, ſuos Decanatus & Præpoſituras ſuas inter Canonicos & re & nomine retinere; (ut me hîc mendacij S. P. arguere nequiverit, niſi per ſummam petulantiam) tum ex eo quod primæ Præbendę collatę ab Ordinibus in Reformatos, collatæ fuerint cum his titulis: Sic enim anno 1580. 13. Auguſti, collata eſt Johanni Alendorffio, optimi Patris filio, Nobili puero nondum nato 12. annos, *Præpoſitura & Præbenda* N. à Kerckehoove, Præpoſiti ad S. Petri, qui inter hoſtes verſabatur: cum expreſſa ſtipulatione à *Dominis Decano & Capitulo S. Petri*, ut hunc juvenem admittendo in poſſeſſionem ſui beneficij, juxta Statuta ſuæ Eccleſię, eum non obligarent *ad tonſuram Clericalem* ſuſcipiendam, aut ſimiles *Ceremonias* Eccleſię Papiſticæ ſervandas; Quam eandem conditionem 9. Julij, ideſt menſe antea, propoſuerant Ordines, conferendo Antonio Aeſwinio, primam Archiepiſcopi Præbendam vacantem in Capitulo Oudemunſter dicto. Quâ ratione ſatis declararunt, hæc Collegia cum ſuis titulis planè ſęcularizari, nihilque illis relinqui ſervandum ex ſuis Statutis, niſi quod Politicum foret & Religioni Reformatę non adverſaretur; cujus ordinis ipſa non eſſe nomina, nondum in ſuo Calepino Reformato didicerant. Quod ſi illorum temporum Proceres, ſubtiliori hodiernę Caſuiſticę diligentiùs incubuiſſent, non ſolum vitaſſent quod minus eſt, in prioris nomenclaturę retentione,

ſed etiam abſtinuiſſent ab eo quod majus primâ fronte videtur, quo ſuas novas Canonicas & Præbendarios Marianos Ordinis Teutonici, tamdiu extra conjugium manere & Cœlibatus lege teneri voluerunt, quamdiu in ſuis reſpectivè Conventibus commorantur: Vide ſæpiùs citatarum Reſolutionum *art.* 11. *&* 17.

Hinc autem liquet quâ conſcientiâ S. P. neget ſimilia nomina uſurpari in alijs Præbendatis Ultrajecti, ijs quæ nunc Anti-Canonici, tam frivolè oppugnant. Quamvis illicò per inſignem ſecum pugnam, neget partim ſimilia eſſe, partim ibi ſcandalo non eſſe: Sed nec ſcandalum probat, contra fidem ſui Protocolli, nec diſſimilitudinem oſtendit; & tandem eò redit, ut dicat exempla regulas non facere, nec Proceres illius Provinciæ declaraſſe nihil offendiculi illis nominibus ineſſe; Abſurdè utrumque: Nam regulam per exempla non conſtituo, ſed comprobo; & Ordines iſta nomina non tantum retinendo ubi erant, ſed etiam imponendo ubi non erant, ſatis eoipſo declararunt, nihil juſti ſcandali poſſe ſumi ex illis, ex quibus ipſi-met, pij utique & rerum intelligentes, non offendebantur.

Sed neque hactenus, quod viderim, ab ullis Proteſtantibus Theogis, ſcrupulus circa nuda hæc nomina fuerat excitatus: Imò viri magni inter eos, titulos Præpoſitorum, Abbatum, Priorum, Decanorum, Canonicorum, aſque ſcurpulo ſemper aſſumpſerunt; ac nuperrimè adhuc in funebri Programmate ſcripto plurimum Reverendo & Celeberrimo Viro, D. Georgio Calixto, ſummo inter Auguſtanæ Confeſſionis profeſſores & moderatiſſimo Theologo, legebam ipſum Abbatem Regiæ Lutteræ fuiſſe nuncupatum. Ut hîc lubeat dicere de Præbendatis Ultrajectinis, quod nomen in illis damnetur, non crimen; Verùm *ſi nominis odium eſt*, ut loquar cum Tertulliano *Apolog. cap* 3. *quis nominis reatus? quæ accuſatio vocabulorum?* Si enim hæc nomina Ultrajecti neque ſenſu Pontificiorum, neque ſenſu Reformatorum ſunt Eccleſiaſtica, ſed planè ſæcularia, utique poſſunt uſurpari ab hominibus merè laicis, ad connotationem & diſtinctionem juris quod quique habent in bonis & reditibus ſuorum Capitulorum. Atqui Eccleſiaſtica nequeunt cenſeri ſenſu Reformato; cùm eorum nullum ſit quo functiones Eccleſiaſticæ inter Reformatos ſoleant indigitari. Nec etiam talia ſtatui poſſunt ſenſu Pontificio, cùm

Ultra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

Ultrajectini Canonici hoc ſenſu eorum non ſint capaces; Imò multo minus poſſint haberi à Papiſtis pro Præpoſitis, Archidiaconis, Decanis, Canonicis &c. quam habentur à nobis pro legitimis Eccleſiæ Chriſti Miniſtris & Paſtoribus, Curiones, Sacrificuli, Epiſcopi, Prælati, Archiepiſcopi, Metropolitani, Cardinales, Pontifices eorum; etſi ſancto & venerabili nomine Paſtorum & Epiſcoporum glorientur: Quin hi ſaltem ſpeciem adhuc præ ſe ferunt Paſtorum & Epiſcoporum, ut ſimiæ hominum, ac prout *faciunt favos & veſpæ, faciunt Eccleſias & Marcionitæ*, apud Tertullianum *lib.* 4. *contra Marc.* Sed Ultrajectini Præbendarij, nihil minus præ ſe ferunt quam exercitium ullius Spiritualitatis illius, ad quam iſti tituli in Papatu deſtinantur. Nam quod in adminiſtratione externa ſuorum bonorum eodem modo verſentur quo Canonici Pontificii, & eodem ordine ex illis titulis ſua beneficia poſſideant, & ad illorum adminiſtrationem conveniant more Capitulorum Pontificiorum, non magis eos gravat hac in parte, quam quod cibos ſuos in prandio & cœna non ſecus ac Pontificij ore ſumant non aure. Imò video Eruditiſſimos Conſultores, etiam dum vehementiùs hac de re diſputant, illis tamen ſuppetias ferre; Nam præterea quod fatentur *Conſ. Theol. parte* 92. *p.* 15. rem non fore ita magni momenti, ſi de nudis nominibus ageretur, *pag.* 198. agnoſcunt in Canonicorum Ultrajectinorum titulis apparere quidem ſpeciem aliquam, **de poſtuere** / Capitulorum Romanenſium, ſed **uytgenomen de Roomſche Goddelijcke dienſten in de Kercke / neffens de Geeſtelijcke regeeringe ende Juriſdictie** / ideſt excepto Pontificiæ Religionis cultu in Templis, & Eccleſiæ regimine ac Juriſdictione; At verò hæc illa ſunt quæ illos titulos Eccleſiaſticos faciunt: quibus cùm abſtineant Canonici Ultrajectini, ut pote religione Reformati, & qui nihil unquam ſibi juris vel per ſomnium arrogarunt in regimine & juriſdictione Eccleſiæ, nec plus habuerunt commercij cum Rovenio prætenſo Archiepiſcopo Ultrajectino, etſi ſe Philippenſium Archiepiſcopum ſoleret vocitare, quam cum Antichriſto Romano à quo miſſus fuerat, non video quid ſuperſit vitioſi in eorum titulis ad ſola ſæcularia & temporalia uſurpatis; aut quid ex eorum Collegiis ſibi debeat tantopere metuere Venerandum Eccleſiæ Ultrajectinæ Presbyterium, prout genius Antonij genium Auguſti metuere dicebatur, ut aſſerant Viri Doctiſſimi, hujus exaltationem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

& ſecuritatem, non aliunde quam ex illorum depreſſione & everſione eſſe expectandam.

Ex his autem benè penſiculatis, concidit argutiola S:P. quod Capitula, **de Geeſtelijckheydt** appellantur, unde Electus quilibet ad Reip. regimen evocatus, ſalutatur **Edele wijſe** &c. **ge-eligeerde uyt de Geeſtlijckheydt:** Nam Capitula ſic nominantur, non reſpectu ejus quod nunc ſunt, ſed reſpectu ejus quod olim erant ſenſu Pontificio, & quo iſtud Regiminis publici membrum, ab alijs duobus, hoc diſcretivo, non definitivo nomine, diſtinguatur. Abſurdius verò S.P. colligit in his denominationibus peccari contra dictum Pauli 1. Theſſ. v, 22. quia judice Doctiſſ. Authore *Conſ. Theol. l. c.* illis inſit ſpecies & ſimulachrum regiminis Pontificij: Etenim neque illius viri authoritate hic conſtringimur, eò minus quod ipſe fatetur nihil Capitulis ineſſe Spiritualis regiminis & juriſdictionis; Nec Apoſtolus præſcribendo ut abſtineamus *ab omni ſpecie* mali, id vocabulum *ſpeciei* tam ſumpſit Ethicè, quam Logicè, quò ſignificet abſtinendum ab omni peccato & malo, ſive contra Deum & primam tabulam Decalogi, ſive contra ſecundam & proximum fuerit: Aliàs enim certum eſt, multa ſpeciem boni induere apud homines quæ tamen mala ſunt, juxta illud Poëtæ, *Fallit nos vitium virtutis ſpecie & umbrâ*, multa è contrario ſpeciem mali habere, ex hominum ingeniis præoccupatis & diſtortis, quæ tamen non modò indifferentia ſunt, ſed etiam bona & ſalutaria; Multi Ethnici damnarunt alacritatem Chriſtianorum in martyrio ſubeundo, quaſi ipſi naturæ bellum indixiſſent, & propriam ſuam vitam, ex mania & furore, odio habuiſſent, illiſque illud applicarunt, *Quis furor ne moriere mori?* Et qui *Ethicam* ſignificationem mordicùs hîc retinent, debent igitur certam, extra ſuum cerebrum, comminiſci regulam, per quam dignoſcatur, id quod cum malum non ſit, ſpeciem tamen mali in ſeſe habet, à qua non minus quam ab ipſo malo ſit abſtinendum. Quid quod boni iſti viri, qui tantopere nituntur hac Paulinâ ſententiâ, in eam palam incurrunt? Agnoſcunt enim uſum cui ab initio deſtinatæ ſunt fundationes bonorum Pſeudo-ſacrorum in Papatu, fuiſſe Idololatricum, vitioſum & Superſtitioſum; & volunteas nunc traduci ad uſum uti loquuntur, *parilem & analogum*; Jam autem

certum eſt omne analogum, ſpeciem, ſimulachrum, & imaginem quandam habere ſui analogati; aliàs non foret analogum. Quare illorum bonorum Eccleſiaſticorum uſui malo quem obtinebant in Papatu, ſubſtituere apud Reformatos, uſum analogum, foret rei malæ ſpeciem mali ſubrogare, à qua tamen, non minus quam ab ipſo malo, juxta hos, erat abſtinendum. Et mirum eſt ab iſtis hominibus non improbari quod analogum foret Papatui in Sacris, & improbari, ſi quid ei analogum & ſimile videatur in Politicis.

Neque (ut pergam) neceſſe eſt ad horum titulorum ſæculariza-tionem comprobandam, oſtendere quid ſæcularis officij ſuſtineant illi Canonici, Scholaſtici, Vicarij &c. cùm in Capitulis immediatis Imperij Proteſtantium Religioni addictis, quorum Principes ſunt Epiſcopi, Adminiſtratores, Poſtulati, hæc omnia recurrant ad regimen merè Sæculare & Politicum, ac diſtinctionem portionum & Prębendarum cuique aſſignatarum: Officium itaque ſæculare iſtorum Ultrajecti, eſt conſtituere primum Reip. membrum varijs partibus conſtans, prout ijſdem partibus conſtabat ante Capitulorum Reformationem & ſuppreſſionem Papiſmi. Eo autem minus ſcurpuli debet eſſe in horum nominum uſurpatione ab hominibus Reformatis, quod licet ſint in Papatu Pſeudo-Eccleſiaſtica, tamen nuſquam uſurpantur in ſacris literis ad munus ullum Eccleſiaſticum, ex ijs quæ ſunt inſtituta à Chriſto, ſignificandum; imò non deprehenduntur fuiſſe cognita vel uſurpata in puriori & primitiva Eccleſia: ut eo ipſo tutiùs poſſint uſurpari tanquam ſæcularia & non ſacra ac planè indifferentia, ab hominibus Sacra Pontificia deteſtantibus, quales ſuppono eſſe Canoni-Ultrajectinos. Certè potuerunt Civilium Officiorum nomina accommodari Miniſterijs Eccleſiæ; nam inter Presbyterum officio & Senatorem, nihil in nomine video diſcriminis; Epiſcopi dicebantur apud Ethnicos, tum qui metatoribus præerant, tum illi quibus rerum promercalium inſpectio erat demandata; Patriarcharum quoque nomen priùs inter Judæos fuit cognitum quam inter Chriſtianos. Cur igitur viceverſa non potuerint nomina quondam Sacra inter Pontificios, conditionibus Civilibus ſignificandis inter nos citra ſcrupulum adhiberi? Aliter ſonat nomen Miniſtri in Aula, aliter in Eccleſia; alius eſt Paſtor in caula, alius in Templo; alius eſt Præco in Curia, alius

in Suggeſtu. An indignabimur eos qui Conſilijs præſunt Regum & Principum, Miniſtros appellari, eò quod nos Miniſtri in Eccleſia nuncupemur? An dedignabimur Paſtores dici in grege Chriſti, quod & Opiliones & Bubulci eodem nomine ſalutentur?

Quod ſi propter uſum ſuperſtitioſum & vitioſum horum nominum in Papatu, debent Reformati illis abſtinere, nemo igitur erit appellandus Chriſtophorus, quia id nominis inter Pontificios monſtrum Idoli potius quam hominem, nedum Sanctum, denotat. Et eò major libertas nobis ſit nomina quondam Idololatris ſacra ad uſus merè Civiles traducendi aut reſtringendi, quod ipſæ-met Sacræ Scripturæ plurimas voces traduxerint ab uſu profano & Idololatrico, ad pium & ſacrum: Quot & quam frequentes ſint apud Paulum metaphoræ à publicis ludis & certaminibus, in honorum falſorum Deorum inſtitutis inter Ethnicos, omnibus obvium eſt: Vocabulum *myſterij*, quæcunque ſit illius originatio, ſive Græca, ſive Hebraica, à Gentilium Sacris mutuatum eſſe, omnes ſciunt. Etiam vocem ταρταρώσας, Petrum tranſumpſiſſe ex fabulis Poetarum de Tarteſſo & Tartaro, notant eruditi. Et quamvis Phariſæorum nomen denotaret ſectam Judaicam ſuperbiſſimam & Chriſto inimiciſſimam, tamen Paulus Apoſtolus ſe aliquando Phariſæum vocavit & profeſſus eſt; non quidem quo ſenſu Phariſæi ſæpè Chriſto vapulant in Euangelio & vulgò illa vox ſumebatur apud Judæos, ſed in quantum hoc differebant à Sadducæis quod admitterent reſurrectionem mortuorum. Nec eidem Apoſtolo grave fuit ſubire eam navem quæ appellabatur Caſtor & Pollux, ideſt nomine eorum Deorum qui fortunatam navigationem præſtare vulgò credebantur; quamvis Apoſtolus non ſe illis crederet, ſed Deo, nec quicquam tale de illis admitteret. Paſſim adhuc toto Belgio, Templa puro cultui aſſignata, retinent tamen priſca nomina Sanctorum, in quorum honorem Idololatricum erecta & conſecrata ſub Papatu fuerant; quamvis non eodem ſenſu & ſignificatu nobis dicantur Templa S. Martini, Sanctæ Catharinæ, S. Johannis, quo Pontificijs. Fateor, nec Chriſtophori, nec alterius Idoli, nomen ſuſcipiendum eo fine, ut teſteris tuam cum illo communionem: Sed neque Canonici Ultrajectini per ſua nomina, volunt communionem ullam retinere cum Pontificiis, à qua cordatiùs & forte ſinceriùs di-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

ſtant quam ipſe S. P. quocunque titulo glorietur, aliive eorum calumniatores. Nihil illis commune cum hoc morticinio; ipſiſque multo magis competit, quod faciendum à piis prædicitur loco Eſ. xxx,22. quam S. P. & illius vel prodromis, vel ſequacibus; Nam revera profanant quæ ſacra erant Idolo apud Pontificios, ea applicando uſibus mere civilibus; cùm è contrario S. P. cum ſuis ea potius conſecrare de novo, ut pote jam ſacra ex ſua opinione, quam contaminare & profanare ſtudeat: Etſi quæ maledictio denuncietur Merozo Jud. v,23. ea non cadit in Canonicos, qui & ſuperiori ſæculo egregiam navarunt operam in illis Jehovæ bellis quibus implicabatur Reſp. contra Hiſpanicam & Pontificiam tyrannidem, & Capitula ſua penitùs reformarunt, everſione Superſtitionis & Idoli; ut merito S. P. ſuam profanitatem prodat & inſaniam, hæc duo Scripturæ loca in Canonicos contorquendo.

Sed quod propiùs adhuc ſpectat hanc Quæſtionem, non magis vitio debet verti Canonicis Ultrajectinis, quod retineant nomina illa priſca, propter Temporale & Politicum axioma, conjunctum quondam ei Pſeudo-Spiritualitati quam potiſſimum in Papatu deſignant, quam priſcis Imperatoribus Chriſtianis, à Conſtantino magno ad Gratianum uſque, quod ſe Pontifices maximos etiam appellarent, & præeſſent illi Collegio Pontificum, de quo videatur Feneſtella *de Sacerdot. Rom. cap.* 8. Baronius de eo agens *ad annum* 312. *n.* 12. *Spondani Epit.* negat Conſtantinum poſt ſuſceptam Chriſtianam fidem *Idololatram* fuiſſe, etſi *titulum Pontificis Maximi retinuiſſe inveniatur*; & probat ex Zoſimo, *non ſolum ipſum Conſtantinum, ſed eum ſecutos omnes Imperatores Chriſtianos, uſque ad Gratianum, unà cum Imperio Pontificis Maximi titulum ſuſcepiſſe & ſtolam Pontificiam induiſſe*; imò Auſonium, Poetam utique Chriſtianum, hoc nomine ipſummet Gratianum appellaſſe; ac dicit varias fuiſſe cauſas Imperatoribus Chriſtianis hujus tituli aſſumendi, hanc inter aliam, *quod ampliſſima eſſet illius Magiſtratus autoritas, quippe qui poſſet Comitia dirimere, atque ipſos Conſules abdicare, factaque reddere irrita, decretis à Senatu intercedere, eademque intercidere* &c. Sic tamen hoc nomen geſtabant Imperatores Chriſtiani, reſpectu authoritatis illius quæ huic Magiſtratui in Rep. competebat, ut nihil per & propter illud exercerent eorum

ſacrorum quæ ſui prædeceſſores Ethnici eo reſpectu exercuerant: Nec ullus adhuc Veterum prolatus eſt qui in Imperatoribus Chriſtianis hoc nomen improbaverit; Imò fortè ſatius fuiſſet ſucceſſores Gratiani hunc nomine tenus Pontificatum Maximum retinuiſſe, quam eo depoſito illum tacitè reſignaſſe Epiſcopo Romano, qui eum avidè recollegit, & per ſuum Pontificatum Maximum invaſit ea quæ erant Imperatoris, & omnem prioris beſtiæ poteſtatem ſub ejus oculis exercere cœpit.

Notum quoque eſt multos olim inter Chriſtianos Flamines & Sacerdotes fuiſſe appellatos, imò Flaminia & Sacerdotia fuiſſe multis in locis munera Patrimonialia, ut ajunt Juris-conſulti, à quibus ſuſtinendis & exercendis Chriſtiani ipſi eximi non poterant; quod fuſiùs probandum ſuſciperem, niſi id viderem abundè præſtitum à Gabriele Albaſpino Aurelianenſi Epiſcopo, cujus *notas* quaſdam in aliquot Canones Concilij Elibertini, & ex *libro* 1. *Obſervationum ſacrarum* totam Obſervationem XXII. quæ inſcribitur *de Sacerdotio Gentilium* cum XIX. quæ eſt *de Fraternitate Chriſtianorum*, Celeberrimus D. Voetius curavit ſeorſim excudi Ultrajecti, cum ſua Præfatiuncula anno 1643. in fulcrum, ut rebatur, ſui alterius opuſculi contra me *de Fraternit. Mar.* Jam autem ut Chriſtianis licebat eſſe & dici Flamines ac Sacerdotes, & ſuſtinere quicquid honoris Civilis, ac exercere quicquid Muneris Politici, hæc dignitas ſecum ferebat, modò intra hos terminos ſe continerent, nec quicquam facerent quod ad cultum Idoli ullo modo ſpectaret; ſic non video cur pariliter non liceat Reformatis Ultrajecti, ea nomina ferre quæ illis conveniunt reſpectu Præbendarum quas poſſident, & quarum uſusfructus eſt quadantenus in eorum Patrimonio, ac ita ſuſtinere quicquid dignitatis Politicæ illi ordini ſuo innexum remanet in Provincia, modò ab omni Superſtitione & Idololatria abſtineant, quod etiam eos facere jam olim Synodus Nationalis Medioburgenſis judicavit. Et benè monet Albaſpinus, Chriſtianos eos à Concilij Elibertini Patribus dici *Flamines* & *Sacerdotes can.* 2. 3. 4. 55. non qui id fuiſſent ante baptiſmum, ſed qui erant tales ſub plena profeſſione fidei, & tales poterant eſſe, modò nec ſacrificarent, nec coronas geſtarent, nec quicquam aliud facerent quod falſorum Numinum honorem ſpectaret.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

Neque dubitandum Aſiarchas commemoratos Lucæ Act. XIX, 31. (de quo loco neſcit quid dicat S. P.) quod jam olim probatum dedi, functos ejuſmodi fuiſſe Sacerdotio, quod inſuper Patrimoniale, ideſt eorum patrimonio innexum, fuiſſe, Albaſpinus *pag. 27. & 28. edit. Vltraj.* probat ex *l.* 8. *C. de munet. patrim on.* & authoritate Cujacij ad eam legem: ad quam & Gothofredus id annotat; *Sacerdotium hîc munus eſt, quo qui funguntur ludis in honorem Dei alicujus inſtitutis præſunt, cum ſumptu aliquo; Talis fuit Alytarchia, Syriarchia, Phœniciarchia.* Idem ferè habet Beza in eum Actorum locum: *Sic dicti ſunt*, inquit, *non qui Aſiæ vel Syriæ præeſſent, ſed Sacerdotes certi, quorum munus erat ludos theatrales in Deorum honorem edere, quos propterea Rufinus apud Euſebium Munerarios appellat.* Idem quoque obſervant Belgæ interpretes. Hi tamen poſt nomen Chriſto datum, eo quod patrimonium ſuum non relinquerent nec abnegarent, ad quod etiam lege Chriſtianâ non tenebantur, ſi modò ab exercitio illius Sacerdotij, in eo quod Idololatricum erat & formaliter Sacerdotale, abſtinerent, Aſiarcharum titulum & quicquid habebant dignitatis Politicæ unà retinebant: Nec ſanè dubitem illos qui tam amicè & prudenter proſpiciebant ſecuritati Apoſtoli, fuiſſe Chriſtianos: Nam & Belgæ Doctiſſimi obſervant quod inter illos Aſiarchas ſive Sacerdotes, ludis publicis præfectos, nonnulli videantur fuiſſe à fide Chriſti non alieni; & Beza putat quoſdam ex illis Euangelium fuiſſe amplexos, *ut etiam Romæ idem Paulus aliquos ex Neronis Prætorio Chriſto lucrifecerat, Phil.* 1, 13: Quin ſuſpicatur *Tyrannum* illum, in cujus Schola Epheſi docebat Palus Act. XIX, 9 fuiſſe *ex Aſiarcharum cœtu de quibus agitur v.* 31. Calvinus ad eum Actorum locum, videtur eodem loco habere *fratres* & *amicos* Apoſtoli; & Gualtherus *hom.* 128. *in Acta*, referens Paulum voluiſſe prodire in publicum, *ut furentes mitigaret*, ſubjicit hæc verba; *Sed non permittunt hoc diſcipuli, maximè quos ex Aſiæ magnatibus amicos habebat, quibus populi ingenium erat magis perſpectum.* Petrus Lintrenſis è Pontificijs, putat *hoc loco*, quod iſti *amici* Pauli ex Aſiarchis, *vel jam fideles, vel catechumeni erant.* Nec eſt veroſimile tam ſinceram amicitiam potuiſſe illis intercedere cum Apoſtolo, eoſque tam ſollicitos futuros fuiſſe de illius incolumitate, niſi fuiſſent Chriſtiani; qui ex Religionis Chriſtianæ Officio deſtiterant ab omni Idolorum cultu, ſed tamen retinebant nomen priſcum & quic-

quid

quid dignitatis Civilis per illum titulum Patrimonialem, ſibi in ſua Patria competebat.

Nemini vero mirum videatur quod iſti Aſiarchæ in ſua dignitate *præſidatus*, ita enim appellatur *l. 6. §. 14. ff. de Excuſat.* potuerint eſſe Chriſtiani, & remanere Aſiarchæ; Nam primò non ſemper omnes tenebantur eſſe actu *in præſidatu*; Apud Euſebium *lib. 4. cap. 15.* cùm Philippus Aſiarcha rogaretur à populo ut daret leonem in S. Polycarpum immittendum, reſpondebat ſibi id non licere, eo *quod jam venandi munus adimpleſſet.* Secundò non omnes eorum actus erant Idololatrici; nihil enim erat Idololatricum in ferarum venatione exhibenda; jam autem hæc ἱεροσύνη ſic explicatur *in Baſilicis*, citante Gothofredo *ad l. 8. ff. de vacatione & excuſ. mun.* ut ſita eſſet ἐν τῷ ἐπιτελεῖν τὰ κυνηγέσια, *in Venationibus exhibendis*, aut *peragendis.* Atque hinc factum quod hæc dignitas hocque Sacerdotium Aſiarchicum, reſpectu ejus quod merè Civile & Politicum erat, perennarit ſub Imperatoribus Chriſtianis diutiſſimè; etiam poſtquam toto Imperio exulabat & profligata erat Idololatria, nihilque formaliter ad eam ſpectans ampliùs obtineret. Continuabantur autem inter Chriſtianos iſtiuſmodi Flaminia & Sacerdotia patrimonialia, quia Imperatores Chriſtiani, ut patet ex *l 4 Cod. de Paganis*, ita *profanos ritus jam ſalubri lege* ſubmoverant, *ut feſtos conventus Civium & communem omnium lætitiam*, *non* paterentur *ſubmoveri*; *Unde abſque ullo ſacrificio atque ulla ſuperſtitione damnabili exhiberi populorum voluptates, ſecundum veterem conſuetudinem, miniſtrari etiam feſta convivia, quando exigunt publica vota*, ibi Arcadius & Honorius mandabant & decernebant; Quoniam autem illis populorum voluptatibus præerant paſſim, eaſque ſuis ſumptibus exhibere & moderari tenebantur, Sacerdotes & Flamines, hinc factum ut Aſiarcharum, Syriarcharum, Phoeniciarcharum, Dendrophororum, Sacerdotum, Flaminum, nomina& titulos retinuerint ipſi Chriſtiani, quibus talia incumbebant, ſive ratione Officij ſibi publicè delati, ſive ratione Patrimonij; Hinc titulos *Alytarchiæ & Syriarchiæ muneribus* deputatos, Leo magnus volebat *flagitari* à Comite Orientis & ab ipſo exerceri, *l. unicâ C. de Off. Comitis Orientis*; Imò cum Imperator Conſtantinus noluiſſet *l. 1. C. de natur. Senatores ſeu præfectos vel quos in civitatibus Duumvirilitas, vel Sacerdotij, ideſt, Phœniciarchiæ ornamenta condecorant*, poſſe pro legitimis ſuis filijs habere,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

habere, quos ſuſtuliſſent ex ancilla, aut liberta, aut ſcenica, aut tabernaria, alia-ve vili perſona, eam legem correxit Juſtinianus *Novellâ* 89. *cap. ult.* Ut ſic adhuc illius tempore, eſſent qui Sacerdotij illius, quod Phœniciarchia & Syriarchia dicebatur, *ornamenta* ſuſtinerent.

Ut igitur ſub Chriſtianiſmo, poſt profligatam Idololatriam, nemini fraudi erant iſta *Sacerdotia*, eorumque nomina & ijs annexæ dignitates Civiles; quia ex eo quod fuerant ſub Ethniciſmo, nihil retinebant niſi quod Civile & Politicum eſſet, adeoque licitum homini Chriſtiano; ita non video quâ ratione improbari poſſint tituli & nomina Canonicorum Ultrajectinorum, cùm nihil retineant ex eo quod fuerant ſub Papatu, præter id quod Civile, Temporale & Politicum habebant. Neque novum eſt vetera nomina vitiosè indita, retineri ad uſum legitimum: Henricus VIII. Rex Angliæ, fuerat renunciatus à Pontifice Romano, quod ſcripſiſſet adverſus Lutherum, *Defenſor fidei*; Qui verò ei ſucceſſerunt Reges, hunc titulum retinuerunt, licet Proteſtantes ac Reformati, & tales qui nullo modo vellent cenſeri Lutheri impugnatores. Quin in his titulis Ultrajectinis o minus eſt vitij, quod ſub ipſo Papatu potiùs erant appendices Hierarchiæ Pontificiæ, quam gradus quidam eſſentiales illius; Etenim la Hierarchia conſtat propriè quatuor ordinibus minoribus, Oſtiaj, Acolythi, Lectoris & Exorciſtæ, & tribus majoribus, Subdiaoni, Diaconi & Sacerdotis, quibus ſuperſtant ordine Epiſcopi, ut is Archiepiſcopi, illis Metropolitani & Patriarchæ, his Papa.

Saltem horum nominum ab Ultrajectinis Canonicis uſurpatorum, ullum eſt quod Spirituale aliquod Miniſterium ad Miſſificationem rdinatum denotet; cùm ne quidem qui appellantur *Presbyteri aniarum*, ſive **Ziel-Prieſters** / (quod video valde exagitari, eo quod oc nomen dicantur adhuc inter Præbendarios Ultrajectinos retine-, qui obtinent beneficia & alia accidentalia olim ijs conceſſa qui ıb Papatu eo titulo deſignabantur) non tam videntur ſic dicti fuiſſe Miſſis pro animabus defunctorum celebrandis, quam ab eo quod pulturæ mortuorum præeſſent, & minutiora ſuffragia (uti vulò dicuntur) ſeptem Pſalmorum pœnitentialium & *Libera me*, ſuer eorum tumulis illicò poſt, pro eorum animabus demurmurare te-

nerentur. Et pleraque alia talia ſunt, ut per ſe nihil ſpirituale ſignificent: Nam *Præpoſiti* poſſunt dici quilibet Collegiorum quorumcunque Præſides; & multis in locis hoc nomine deſignantur Judices Civiles & Quæſtores ſuccincti, quorum illi abſolutè *Prevoſts*, hi *Prevoſts de l' Hoſtel, ou des Mareſchaux*, Gallicè appellantur. Vicarius Latinè dicitur in genere, quicunque vices alterius ſuſtinet, adeo ut eo nomine Officiarij quidã militares ſoleant Latinis Scriptoribus indigitari. In Præbendarum & Præbendatorum nomine nihil etiam eſt quod jure offendat; cùm Prębenda ſit quod victus causâ præbetur, & *præbenda abſolutè in plurali numero apud priſcos dicebantur quæ parochi quotidie Legatis publicè miſſis exhibere tenebantur*, obſervante Tholoſano *lib.* 15. *Synt. juris, cap.* 23. *n.* 1. Et cùm *Canonici* poſſint dici, juxta Duarenum *de Sacr. Eccl. Miniſt. & Benef. lib.* 1. *cap.* 18. *à Canone, ideſt penſione ſive annona* quam percipiunt, prout etiam ICti *Canones* appellant uſuras & reditus annuos pecuniæ alteri concreditæ, nihil eſt eo reſpectu in hoc nomine quod purè putè Civile non ſit. *Theſaurariorũ* & *Collegiatorum* & *Collegiorum* nomina, multo uſitatiora ſunt ſenſu Politico, quam Eccleſiaſtico: Et licet *Sacriſtæ* à ſacro ſic dicantur, tamen etiam *ſacræ largitiones* aliaque plura *ſacra* in Notitia Imperii, non ſtatim ſignificant aliquid ſpectans ad Religionem & Cultum publicum. *Decanos* quoque ſuos habent Facultates in Academijs, milites in caſtris, & paſſim etiam tribus Civicæ; Imò *tranſlatione factâ à perfectione & præſtantia denarii numeri, Decanus dicitur præcipuus inter aliquos ejuſdem ordinis & ſtatus*, apud Tholoſanum *lib. eod. cap.* 21. *n.* 13. Quam nihil ſacrum per ſe ſonet nomen *Scholaſtici*, res ipſa loquitur, eo magis quod olim non minus fuerit uſurpatum circa militiam ſagatam, quam circa togatam: Et de hujus vocis ſignificatione varia, poteſt videri Baronius *ad Martyrol.* 6. *Febr.* Quin in ipſo Collegio Canonicorum apud Pontificios, ut ex primæva inſtitutione *qui Scholaris* vel *Scholaſticus* dicebatur, (mei populares eum vocant *Eſcholaſtre*,) non magis ad Literas ſacras quam ad Grammaticam & diſciplinas liberales tradendas tenebatur, ut patet ex Duareno *lib.* 1. *cap.* 15. ita plerumque eſt titulus ſine re, qui opimiorem quandam connotat Præbendam, ſed nihil habet laboris vel operæ ſingularis circa Sacra. Plus videtur hierarchici eſſe in *Archidiacono*, qui *dignitatem*

tatem habet, ut Canoniſtæ loquuntur: Sed nec illa gradum Hierarchiæ eſſentialem conſtituit, & *Diaconi* nomen æquè Politico Magiſtratui tribuitur in Scripturis ac Miniſtro Eccleſiæ, ut non minus queat dari Archidiaconus ſæcularis diſtinctè à ſacro, quam diſtingui, ut fit à Tholoſano *lib.* 15. *cap.* 20. *n.* 12. inter Diaconos ſacros & ſæculares. Et cùm in ipſo Papatu dentur Archidiaconi *ſine officio*, ut notat *ibid.* Tholoſanus *n.* 5. nullâ ratione poteſt offendere iſte titulus, ac ſi ſacrum aliquod officium neceſſariò ſonaret.

Numerantur quoque à Canoniſtis inter Epiſcopatuum Officiales qui *Vicedomini* dicuntur, & Gallicè *Vidames* appellantur; quo de nomine & officio videatur noſtras Paſquierius *lib.* 8. *des Recerch. cap.* 5. Illa autem dignitas à Magnaribus in Gallia ſuſtinetur, qui ſe vocant *Vicedominos* ſeu *Vidames* eorum locorum in quibus ſedes ſunt Epiſcopales, ut *Vidame de Chartres*, *de Reims*, *d' Amiens* &c. & eam habent in Patrimonio, cum reditibus peramplis, territorio nobili, juriſdictione ampliſſima, citra ullum officium vel exercitium Eccleſiaſticum, imò citra neceſſitatem ullam Religionis Pontificiæ profitendæ; Nam me vivente & vidente Vicedominus Carnotenſis, jam ab avis fuerat Religioni Reformatæ addictiſſimus. Et cùm nemo unquam Reformatus in Gallijs ſomniarit hoc minus convenire homini Reformato ut ſe *Vicedominum* hujus illius-ve Epiſcopatus vocaret, etiam cum tacito reſpectu ad Epiſcopum Pontificium, cujus hac ratione Vaſſalus eſſet, non eſt cur carpatur titulus Præpoſiti vel Archidiaconi, aliuſve ſimilis, in Canonicis Ultrajectinis Reformatam Religionem profitentibus, cùm nihil Eccleſiaſtici vel Sacri ſonent, & nullum retineant reſpectum aut Vaſſalagium ullius Epiſcopi.

Nec major eſt juſtę offenſionis cauſa ex eo quod in Actis quibuſdam publicis, ad ſua Collegia ſpectãtibus, Prępoſiti ſe vocãt tales *Dei gratiâ*: Nam hæc loquutio magis ſpectat axioma Politicum totius Collegij, quam Miniſterium Eccleſiaſticum ipſius Præpoſiti: Et ſicut in Papatu nullus Epiſcopus audet ſe vocare Epiſcopum *Dei gratiâ*, niſi unà addat *& S. Sedis Apoſtolicæ*, quo ſuam ab illa dependentiam connotet; ſic non putem extare exempla ullorum Præpoſitorum vel Archidiaconorum qui ſe tales *Dei gratiâ* dicant in Papatu, reſpectu ſui Officij Eccleſiaſtici, in quo ab Epiſcopo ſuo dependent, ut ille à Papa: Sed

hauc clauſulam uſurpando debent aliquid ſibi tribuere ſęcularis præeminentiæ, cujus reſpectu ſuperiorē non agnoſcant præter Deum. Majeſtatis enim Civilis & independentiæ à Superiori eſt indicium, ſi quis ſe abſolutè hoc vel illud vocet *Dei gratiâ*; non ſolum in regimine Monarchico, cùm hac clauſulâ ſupremi Principes & quibus competunt Regalia, à Feudatarijs diſtinguantur, verum etiam in Polyarchico, ubi ſimulachrum Imperij eſt penes unum; ut patet exemplo Venetorum & Genuenſium, quorum Duces ſe tales Dei gratiâ appellant, exprimentes in ſe ſupremam ſuorum Senatuum Majeſtatem. Neque facit ad imminuendam, ſed potius ad commendandam illius Provinciæ Majeſtatem, quod προεστὼς conſtans primi membri, ſe talem profiteatur *Dei gratiâ*, cùm duo alia membra ejuſmodi προεστῶτα perpetuum non habeant; nec eâ ratione ſe præferat alijs duobus membris, ſed tantum ex veteri formula Collegiorum ſuorum immediationem & independentiam ab ipſomet Epiſcopo, quoad Regimen publicum, eat aſſertum. Quam autem nihil habeat ſerij aut ſolidi S. P. quod hîc opponat, vel ex ſe vel ex ſuo Protocollo, ad quod provocat, *Cerſ. Th. p. 2. pag.* 195. *uſque ad* 201. *&* 100. *uſque ad* 112. facilè ei patebit, qui hæc noſtra cum ſuis contulerit. Imo animi ſui profanitatem oſtendit, dum huc adfert illud Pauli, *Gratiâ Dei ſum id quod ſum*, 1. Cor. xv, 10. quod nullo modo, ut hîc, ſpectat ad Superioritatem & independentiam Politicam.

Ut autem hi tituli ſpeciales, nihil ſonant Eccleſiaſticum aut Sacrum in Canonicis Ultrajectinis, ſic ipſis vitio verti non debet quod eorum Collegia, vulgò nuncupantur *Capitula*, *Clerus*, de Geeſtelijcheyt / *Eccleſiæ Collegiatæ*, *Collegia* quinque domuum Dei, van de vijff Gods huyſen / & qui ſunt membra Capituli Eccleſiæ Cathedralis Dom-heeren ſoleant appellari: Nam Capitulorum nomen denotat Collegium hominum in capita ſive capitatim convenientium, (quod dum negare conatur S. P. ſuam prodit ſtultitiam) qualeſcunque illi ſint. Et Ultrajectini Canonici *Cleri* & *Eccleſiaſticorum* nomine exprimuntur, (ut vehementer hoc urget S. P. diſſimulatis & præteritis ſuo more, quæ hîc jam in prima editione reſponderamus,) non quod tales ſint vel debeant haberi ſenſu Pontificio; quanquam tales dici poſſint omnes Reformati ſenſu Orthodoxo, prout Orthodoxi

Theologi

Theologi improbant in Eccleſiæ Romanæ Miniſtris, quod ſe ſolos reputent Clerum Dei, Spirituales & Eccleſiaſticos, reliquis Chriſtianis poſt ſe relictis ceu ſæcularibus, laicis & profanis; Sed quod obtineant in Rep. & bona temporalia & axioma Politicum eorum, qui olim ſub Papiſmo, & Clerus & Eccleſiaſtici & Eccleſiæ Collegiatæ κατ᾽ ἐξαίρετον dicebantur: Nec aliter hæc Collegia dicuntur Collegia vel Capitula quinque Dei domuum, quam eadem catachreſi quâ Templa eadem, S. Martini, vel S. Petri, vel S. Mariæ &c. ſolent adhuc appellari; Ut enim hæc Templa ita dicuntur, non reſpectu ejus quod nunc ſunt Dei cultui puro addicta, ſed reſpectu ejus quod olim erant ſub Papatu, illis ſacris per Idololatriam conſecrata; Sic Capitula & bona quinque illorum Collegiorum, dicuntur eſſe quinque domuum Dei, non habito reſpectu ad id quod jam ſunt, cùm ſint Collegia merè ſæcularia, ſed ad id quod falsò & perperam reputabantur ſub Papiſmo; cùm tamen non tam domus Dei eſſent loca eorum cultui addicta, quam Idolorum Delubra & ſpeluncæ latronum. Et cùm alias demonſtraverim Templa omnia Pontificia, Idolothyta fuiſſe, ex magnorum Virorum, licet Anti-Canonicorum, conſenſu, utique fatendum eſt quinque illa Ultrajectina, quibus hæc quinque Collegia Canonicorum in ſuo ſpirituali addicta erant, nonniſi per ἀντίφρασιν *domus Dei* fuiſſe appellata: Imò tam alienum eſt à ſtylo Pontificio ut Templa ſua vocent *domus Dei*, ut è contrario id nominis in mea Patria, l'*Hoſtel Dieu*, nihil aliud denotet quam Hoſpitale, ideſt Noſocomium & Ptochotrophium, quò perſonæ miſerabiles & mendici ſolent ſe recipere. Ac prout ſolet in Papatu Eccleſia *Cathedralis*, ut vulgò loquuntur, ideſt illud Templum in quo Epiſcopus ſuam habet Cathedram ex qua docere tenetur, appellari Germanicè & Belgicè **den** *Dom*, non utique à Domino Deo, cui illud Templum ſit conſecratum, cùm ſuum habeat ſpecialem Sanctum & Patronum, cujus honori dicatum eſt, ſed ab Epiſcopo ipſo, qui *Dominus* vel *Domnus* ſolitus ſit appellari; ut defloreſcente linguæ Latinæ puritate, Papa ipſe *Domnus Apoſtolicus* olim cœpit ſalutari; & adhuc in Gallia non tantum Monachi, quibus aliquid honoris defertur, ſolent inſigniri hoc elogio *Dom*, vel *Dam*, (nam hęc duo æquipollere ex voce *Vidame*, quę notat *Vicedominum*, ſatis liquet) ſed etiam quilibet Sacrificulus, ſub titulo *Meſſire*, ut Ita-

licè *Meſſer*, quaſi dicas *Mi Domine*, compellatur; Ita qui Canonici **Dom-Heeren** appellantur ſunt membra ejus Collegij, quod olim ſuo Officio Pſeudo-Eccleſiaſtico defungebatur **in den Dom** / ideſt in eo Templo, quod ipſi Domino Epiſcopo ſpeciatim erat aſſignatum. Ut qui ſtupent aut ſtupere videri volunt ad iſta nomina, ac ſi grande piaculum involuerent, ſuam vel puerilem inſcitiam de eorum conditione, origine & ſignificatu, vel virilem malitiam, luculenter comprobent; ut me pigeat diutiùs iſtis titivillitijs inſtitiſſe.

Quod verò Canonici priſca illa nomina retinentes *Capitulariter*, uti loquuntur, ex priſco ordine ad negotia communia, ſed merè ſæcularia, ſoleant convenire, tam parum damnari poteſt, quam improbari quod Collegia licita collegialiter congregentur, ſervato ab unoquoque membro ſuo loco & ordine. Igitur hoc maneat inconcuſſum argumentum; Illa nomina à Reformatis merè laicis bonâ conſcientiâ poſſunt uſurpari, de quibus conſtat, quod nec in illis, nec ex rei natura, aut vi vocabulorum ipſorum, (de quorum ſignificatione, ut de nummorum valore, ex uſu & curſu publico judicari debet,) quicquam inſit Eccleſiaſtici & Sacri, ad quod ex officio Conſcientiæ per talem nomenclaturam obligentur; nec alium uſum habeant quam merè Civilem, connotandi diſtinctè portionem & ſeſſionem unicuique debitam in ſuis Collegijs, planè ſæcularizatis, & nihil Sacri aut Eccleſiaſtici retinentibus; Atqui talia eſſe hæc nomina de quibus diſſeruimus huc uſque, luculenter comprobatum eſt; Ergo nihil obſtat quominus bonâ conſcientiâ Canonici Ultrajectini Reformatam Religionem profitentes, illa queant uſurpare, & ſub illis poſſeſſores bonæ fidei, in utroque foro poli & ſoli, ſuorum Beneficiorum remanere.

Neque velim hîc fusè oſtendere quam nequiter & ſceleſtè agat Sycophanta Publicus, dum ubi contendo ex illis nudis nominibus ſuperantibus in Canonicis Ultrajectinis, nihil officij ſpiritualis & Eccleſiaſtici ſenſu Pontificio eſſe nunc colligendum, pertendit igitur fas ſibi fore, non ſolum me appellandi, *hoſtem omnis juſtitiæ, profanum moribus*, (titulo quem Latinè expreſſit ex alterius nebulonis ſibi ſimilis verbis) *conductitium Bilheamum, Franculum leviſſimum, Heterodoxum, Advocatum malarum cauſarum, Antichriſtum &c.* (quę omnia convicia tum forte vera eſſę deprehendet, ſi, ut ille ajebat, à ſe incœperit;) ſed etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

etiam Illuſtrem Brederodium inſcribendi *hæreditarium Burgravium Vltrajectinum*, quem tamen titulum hactenus Brederodii ſuum eſſe pertendunt, ac Celſiſſimum Principem Auriacum, *Gubernatorem Hollandiæ, Zeelandiæ* &c. Quod an non ſit Viris Principibus inſultare, & illudere, viderint prudentiores. Sane ſi pro rata, ut loquuntur, tantum exerceret Illuſtris Brederodius Burgraviatus in Ultrajectina Provincia, more majorum forte ſuorum, (hanc enim cauſam meam non facio,) aut Celſiſſimus Princeps Auriacus, tantum poſſideret auctoritatis illius, quam Majores ſui, cum hujus Reip. ſummo emolumento, exercuerunt, quantum de facto Canonici & Capitula retinent Ultrajecti illius Majeſtatis & Poteſtatis Politicæ, quæ olim ſub Papatu conveniebat Canonicis & Capitulis Pontificiis, non auderet Sycophanta, vel Illuſtri Brederodio, vel Celſiſſimo Principi, hanc nomenclaturum, quam utrique abrogat, aut invidere, aut denegare. Saltem reſpectu illius Politicæ poteſtatis, non poteſt Canonicis tribui eos non eſſe quod dicuntur; quam ad rem S. P. valde ineptè citat Apoc. 11, 2. & Luc. XI, 47. ex quorum locorum inſpectione, eum domo abfuiſſe cùm ſcriberet, certò conſtabit.

Mantiſſæ loco lubet hîc adjicere, quæ olim de Canonicis & eorum Collegijs ac Nominibus proponebat anonymus hyperaſpiſtes Cel. D. Voetij contra me, in *Poſtmonito* addito prætenſis judiciis Theologorum Belgij, in cauſa Sylvæducenſi, quod editum Delphis apud Andræam Cloeting anno 1644. integrum retuli & refutavi *Vltimæ meæ patientiæ parte ſecundâ*. Is autem Doctiſſimus Poſtmonitor, magna diſcrimina ex R.D. Voetio propoſiturus inter Fratriam Sylvæducenſem & Ultrajectinos Canonicos, volebat præ cœteris notari, *pag. ſui libelli* 84. & 85. *Canonicos & Canonicatus S. Mariæ, S. Petri &c. non eſſe confraternitates Mariæ, aut S. Petri, nec ab iis denominari, nec quoque in erectionem aut ſtatuta aliquarum fraternitatum ſpiritualium Mariæ jurare: ſed denominari eos modò à ſua quemque Eccleſia Collegiata, cujus olim Canonici fuerunt, ita ut denominatio Canonici alicujus deſumpta ab Eccleſia S. Petri, non magis aliquem membrum Fraternitatis alicujus Mariæ, aut S. Petri conſtituat, ac denominatio Eccleſiaſtæ cujuſdam, Ædilis, Cuſtodis, Anagnoſtæ aut Phonaſci, deſumpta à S. Petri, Mariæ, aut Iacobi, Eccleſia. Quod autem attinet Canonicos & Canonicatus, aut Capitula aut Collegia quæ alicubi remanſere, eorum planè diverſa eſt ratio à B. Mariæ*

Frater-

Fraternitatibus: idque reſpectu regiminis Politici, quod olim tempore Papatus, quoad ſcilicet primum & præcipuum Ordinum illius Provinciæ membrum, ex quinque hiſce Capitulis & Collegiis conſtabat; Quæ ut pote Politiæ illius FVNDAMENTALIS Lex, tempore arctioris Unionis Vltrajectinæ, ut & per diverſas Provinciæ illius cum Præfectis ſuis & Gubernatoribus tum Generalibus tum Particularibus, nec non cum vicinarum Provinciarum Ordinibus tranſactiones, præſuppoſita ſemper & de novo ſtabilita, mutari non potuit, quamvis aliquoties propoſitum, & urbes illius Provinciæ ſeriò ſemel experimentum ſumpſerint. Hanc autem Politiam, Fundamentale hoc & ſtabilitum regimen, Theologi aut conventus Eccleſiaſtici immutare nec volunt nec poſſunt. Et pag. 87. *Collegia Canonicorum involuunt ac includunt in ſe Fundamentale ac præcipuum membrum ſtabilitæ Politiæ ac regiminis Fœderati hujus Belgij.* Et pag. 88. *Præcipuum eſt Politicum regimen quod ad illam Provinciam, ut & Dominia & bona iſtis Collegiis obnoxia:* Cur ergo tantopere improbemus nudos titulos, ſpectantes hæc *Dominia & bona*, obnoxia illis Collegiis quorum *præcipuum* eſt regimen Politicum, ac quod per fundamentalem & ſtabilitam legem in Fœderato Belgio, eorum eſt?

CAPUT DECIMUM.

Argumentum Octavum, quo probatur iſta Beneficia eſſe conſtituta Ultrajecti in libero commercio, adeoque Canonicos licito titulo eorum poſſeſſores eſſe bonæ fidei.

ETſi antea ſufficienter probaverim Canonicos Ultrajectinos eſſe poſſeſſores bonæ fidei in utroque foro ſuorum Beneficiorum, eamque eſſe naturam & illorum bonorum quæ ab ipſis poſſidentur, & titulorum ſub quibus poſſidentur, ut neutrobique quippiam ſit ex quo illicita eorum poſſeſſio ſtatui queat hominibus Reformatis, nullum munus vel Academicum vel Eccleſiaſticum ſuſtinentibus; debeo tamen ulteriùs procedere, & demonſtrare hæc bona in Provincia Ultrajectina poſita eſſe *in libero commercio*, adeoque juſto

juſto titulo poſſideri à ſuis emptoribus: Id ſi probavero luce meridianâ clariùs, etſi videam negatum vehementer à Viris quibuſdam Doctiſſimis, *Conſ. Theol. p. 2. pag.* 209. (quâ in negatione ex eorum Principiis perſtat S. P.) putem liquidò inde ſequuturum, I. Hæc bona non haberi in illa Provincia pro Spiritualibus & formaliter Eccleſiaſticis, ſed pro merè Civilibus & Sæcularibus; cùm talia demum in libero commercio poſita ſint; II. Nullam hîc eſſe umbram illius Simoniæ, quam nonnulli parum fœlices aut acuti Canoniſtæ, volunt, propter bonorum iſtorum ordinariam redemptionem, Canonicis Ultrajectinis impingere; cùm Simonia ſit ſecundum omnes Canoniſtas & Scholaſticos, *ſtudioſa voluntas emendi vel vendendi aliquod ſpirituale vel ſpirituali annexum*, ut habet ex Thoma 2. 2. *q.* 6. *art.* 1. Bartholomæus Fumus in *Armilla aurea, ad vocem Simonia*; jam autem nihil Spirituale vel Spirituali annexum eſt in his bonis, ut nihil quod tale foret poſſet à Supremo & pio Magiſtratu conſtitui in libero commercio; III. Illa bona eò juſtiùs poſſideri ab hodiernis Canonicis, quod ea vel donationis, vel reſignationis, vel emptionis legitimæ, titulo poſſideant; IV. Me illa meritò quondam contuliſſe cum iis annuis reditibus qui Lyf-renten appellantur, & qui paſſim redimi ſolent in hoc Belgio. Siquidem à Canonicis fundi & prædia non emuntur, ſed tantum eorum uſusfructus ad vitam; qui æquè redimi poteſt in Collegiis Ultrajectinis, ac toto Belgio redimi ſolet jus habitationis, menſæ & cœterarum neceſſitatum, in Gerontotrophiis; Collegiis utique, multo magis ſacris, quoniam in uſum pauperum erectis, quam hodierna Capitula Ultrajectina.

Probaturo autem hæc bona poſita eſſe in libero commercio, ſufficere poſſet quod antea luculenter demonſtravi, ea omninò eſſe ſæcularia & ita poſt recuperatam libertatem ſæcularizata & defœcata ab omni illa Pſeudo-Spiritualitate, cui (nec tamen in ſolidum, ſed etiam uſui & axiomati Politico in Repub.) addicta fuerant. Verùm alias hîc adjiciam rationes, quas nullis arietibus pulſari, nullis cuneis everti poſſe, mihi certiſſimum eſt. Primò enim nequit eſſe deterior aut anguſtioribus cancellis coarctata horum bonorum conditio, quam tempore Unionis Ultrajectinæ, quo Capitula ſui perpetuationem in ſtatu quo erant, ſalvâ Religionis libertate, autocratoricè

ſanxerunt pro ſua parte, & ſtipulata ſunt ab aliis duobus membris. Atqui jam tum hęc Beneficia, licet adhuc haberent aliquid Spirituale innexum, ex inolita conſuetudine erant in libero commercio; prout & plerumque obtinet in Papatu, ut per reſignationem, permutationem, donationem, venditionem, quæ compenſationis nomine veniat, tales Præbendæ acquirantur.

Adhæc eadem omninò debet eſſe ratio horum bonorum & redituum, quæ Templorum quondam cultui Pontificio & Sanctorum honori conſecratorum in Belgio: Atqui hæc, teſte Celeberr. D. Voetio, *diſput. 3. de Idolol. indirecta, th. 4. concl. 3. abſque ulla profanatione aut ſacrilegio poſſunt ad uſus quoſque Civiles publicos converti, aut ad uſus privatorum vendi ab ijs ad quos jure id pertinet.* Cur ergo reditus iſtorum bonorum, quæ multo minus conſecrata dici debent quam Templa, non poterunt jure vendi & emi, authoritate eorum ad quos id pertinet? Imò ſi ſimilium bonorum prædia & fundi potuerunt alienari in reliquis Provincijs à Supremo Magiſtratu, & ita poni in libero commercio, quanto magis eorum uſusfructus poni potuit in commercio libero ab Ordinibus Ultrajectinis, ut ſub conditionibus in illa Provincia obtinentibus, à privatis emi & vendi poſſint?

Tum nihil impedit quominus hæc bona ſint in libero commercio, præter Jus Pontificium & Canonicum; quod hîc densè admodum poſſunt allegare ij qui Citationum multitudine volunt obruere cauſam, quam rationum pondere impugnare nequeunt. At verò cùm anno 1581. Ordines Provinciæ Ultrajectinæ toti eſſent circa ordinem in bonis Eccleſiaſticis conſtituendum, & Capitulares *Memoriale* quoddam alijs duobus membris circa illa exhibuiſſent, ad illius memorialis *articulum* 33. notatum fuit, quod prætenſum **Geeſtelijcke ofte Roomſche Rechten**/ Jus Canonicum ſive Pontificium, ceſſet quoad Beneficia Ultrajectina, eo quod ceſſaret illius Religionis exercitium, adeoque non poſſet illi Juri hac in parte amplius inſiſti; Hæc habentur illius Voluminis Reſolutionum, quod ante ſæpiùs citavi *fol.* 50. *verſ.* Cùm itaque ab illo tem pore deſierit Authoritate Ordinum obligare Jus Canonicum ſive Pontificium circa hæc bona, etiam ab illo tempore extinctæ ſunt leges illæ quæ iſta Beneficia nonniſi Canonicè conferenda eſſe ſtatuebant; Quin abrogato Jure Canonico circa illa,

eo ipſo

[e]o ipſo ſæcularia facta ſunt, & talia quæ in libero commercio cenſe-[a]ntur. Quam autem Jus Canonicum non obtineat vim legis in Fœ-[d]erata Belgica, nuper adhuc probatum dedit Paulus Voet, Ictus [U]ltrajectinus, *cap.* 5. libelli *de Uſu juris Civilis & Canonici in Belgio [U]nito*, cujus *appendicem* acanonicam & irregularem, (in qua laudatur & [c]ommendatur ridiculum Opuſculum τȣ̃ S. P. quod hîc ſuis locis [r]efuto,) legi & ſprevi: Ipſi interea gratulor de duobus; Primum, [q]uod incipiat ſe jactare in ſuo foro, & miſſis Theologicis ac Phi-[l]oſophicis, quæ vult credi ſua fuiſſe, ad ſua Juridica tanquam ad [s]uum *Hoc age* ſe recipiat: nam qui ubique eſt, nuſquam eſt: Dein-[d]e quod mutetur ordo calumniandi & conviciandi in libris quos [v]oluit ſub ſuo nomine prodire in publicum: Nam penultimus in-[st]ar viperæ aut canis rabidi, virus omne ſuum habebat in capite, id-[e]ſt in præfatione; hic verò ultimus, illud habet in cauda, inſtar [s]corpii; ut ſpes ſit eum brevi iſto morbo liberatum iri, quandoqui-[d]em humor noxius nunc ad extrema delabitur. Sed id obiter. Ad [n]oſtra redeamus.

Fateor quidem quod in Memoriali ſive Reſolutionibus 6. Junij anni [1]580. *art.* 31. ejuſdem Voluminis *fol.* 11. *recto*, prohibenda dicebatur [P]ræbendarum & aliorum Beneficiorum emptio ac venditio, ſub pœ-[n]a mediæ partis prètij ampliùs perſolvendæ ad expungenda debita Ec-[c]leſiæ illius ad quam Beneficium venditum pertineret; Sed primùm [l]ex erat, ſi lex fuit, merè pœnalis, quæ contractum non reſcinde-[b]at, nec aliò ſpectabat quam impediendo ne per Canonicos malè [a]ffectos Reip. clam Ordinibus hæ Præbendę transferrentur in alios [e]uſdem commatis. Deinde nunquam videtur id Decreto communi [s]ancitum, licet de eo ſanciendo fuerit deliberatum. Et tertiò, quod [m]agis eſt, illi Conſtitutioni, ſi fuiſſet lata, fuit ita derogatum in con-[ti]nenti, ut penitùs ſit abrogata, non tantum tacitâ conſuetudine, cu-[j]us ea vis eſt ut leges poſitivas queat abrogare, ſed etiam publicis [a]ctis & Decretis ipſius Supremi Magiſtratus. Etenim 1. Julij anno [1]580. cùm quædam Beneficia vacarent transfugio aliquot Canonico-[r]um ad hoſtes, Ordines conſtituerunt ea collatum iri bonis patriotis; [e]â conditione ut præſentati ad illa conſequenda Recognitionis loco, [i]n plaetſe van een gratuitept tot behoeff van gemeene ſaecken/

 perſo-

perſoluturi eſſent ſemel pro Beneficiis Veteris Monaſterii *Sexcentas libras*, pro Petrinis *quadringentas ſeptuaginta quinque*; Libræ hæ, an Turonicæ fuerint, an Flandricę, neſcio; Sed ſaltem in meo exemplari notantur per majus L. cum linea ducta in medio, quâ notâ ſolent Mercatores Libras Flandricas deſignare. Etiam ſuperiori capite oſtendebam, eoſdem Ordines conſtituiſſe nullam Virginem nobilem admiſſum iri ad Præbendas & jura Canonicarum Reformatæ Religionis, quin tantum perſolveret pro ſuo Iſagogico, quantum foret proventus unus anni Præbendę ei conferendæ; Quod ſanè proximè accedit ad Annatas Pontificias, nec Simoniæ ſpecie careret, ſi quicquam Spiritualitatis his Beneficiis foret innexum.

Sed quod multo magis eſt, ipſi Ordines illius Provinciæ, anno 1614. menſe Auguſto, emerunt mille ducatis Præbendam in Cathedrali Eccleſia, quâ gratificati ſunt filio Eximij cujuſdam Viri in Belgio, qui de Provincia Ultrajectina benè meritus fuerat; Et ex adverſo, anno 1619. 20. Aug. D. Ægidius Manart ab Ordinibus iiſdem, ſibi comparavit Præbendam vacantem morte D. N. van Linden, pretio quinque millium florenorum. Ita Ampliſſimus Civitatis Ultrajectinæ Magiſtratus, cùm ex ſuo turno deberet conferre Beneficium in eodem Capitulo, quod vacabat morte D. Decani de Reneſſe van Moermondt, accepit à D. Jacobo Godyn, vel illius parentibus pro ipſo, quinquies mille & quadringentos florenos, ex Senatus Ampliſſimi decreto facto 30. Maij 1620. Et adhuc hoc anno ordo Equeſtris, Præbendam vacantem morte D. Johannis de Goyer in Capitulo S. Mariæ, ſub ſimili recognitione contulit D. Joanni van der Voort; Qui bienno aut triennio ante, ſimilem ipſe Præbendam, quâ fruebatur in eodem Capitulo, vendiderat, quod cum adverſa valetudine luctaretur & metueret mori; Sed priſtinæ redditus ſanitati, hanc iterum ſibi comparavit. Nec aliter obtinet vel unquam obtinuit in priori membro, quoties Capitulares Turnarij ſunt.

Quid quod ibi ita cenſentur hæc Beneficia eſſe in libero commercio, ut ſi quis Canonicorum non ſit ſolvendo, ex Ampliſſimi Magiſtratus Ultrajectini decreto, ejus Præbenda publicetur etiam Programmate impreſſo, ſub hoc titulo, Canonisſie te koop binnen Utrecht, *Canonicatus vænalis Ultrajecti.* Atque in ejuſmodi Programma-

grammatis poſt expreſſa Creditorum nomina & debita, adduntur conditiones ſub quibus venditio ſit publicè proceſſura; ut, Quod emptor debeat eſſe qualificatus & actum admiſſionis ſive Placitum Ordinum ſuis ſumptibus proferre; Quod etiam ſi nec illud proferat, teneatur nihilominus emptionis pretium perſolvere, ejuſque fidejuſſores duos idoneos præſtare; Quod venditio ſit proceſſura vry-gelt; Quod emptor poſſeſſionem aggreſſurus, debeat ſuſtinere omnes ſumptus quadrageſimi nummi, Juris Dominiorum, item *vinalia*, *leges* &c. Ita nuper videbam tale Programma publicatum & affixum 15. Aprilis 1654. ex Decreto Ampliſſimi Magiſtratus Ultrajectini; & aliud 26. Novembris 1653. quod procedebat ex Sententia Senatus Supremi Hollandici, quamvis ſubhaſtatio illius Canonicatus eſſet inſtituenda in Curia Ultrajectina, 8. Decembris illius anni.

Incidi quoque in ipſius Ampliſſimi Senatus Ultrajectini decretum ſive reſolutionem, ſub dato 8. Sept. 1636. quâ ſtatuitur nullam Præbendam in quinque Collegiis ex turno Civitatis deinceps collatum iri, niſi Civi honeſto, vel Nobili ex Provincia, & legitimo thoro nato, profitenti Religionem Reformatam, idque ſub recognitione præſtanda præſenti pecuniâ, ac inferenda in Ærarium Urbis, ad illius onera ſublevanda quoad fieri poteſt, pro Præbenda in Cathedrali 5000. flor: in veteri Monaſterio 7000. ad S. Petri 3600. ad S. Joannis 3200. ad S. Mariæ 3400. Additur quid Turnario è Senatu, ſuo juri in gratiam alterius renuncianti, ſit ab eo qui hoc jus acceptaverit, in parata pecunia perſolvendum; ſcilicet in Beneficio Cathedrali 1200. fl. Oudmunſteriano 2600. Petrino 1100. Joannæo 900. Mariano 1000. Quo decreto multum intenditur precium harum mercium, ſupra id quod conſtitutum fuerat in eodem Senatu 26. Sept. 1625. Tunc enim Præbenda Cathedralis cenſebatur tantum 1200. florenorum; 1600. quæ erat Veteris Monaſterii, 1100. ad S. Petri; ad S. Johannis & Mariæ 900. Quę etiam pecunia redibat ad eos ex Ampliſſ. Magiſtratu, quibus jus nominandi & conferendi Urbis nomine ſore obtigiſſet Et quod magis eſt, cum illo Statuto anni 1625. inſuper cautum eſſet, ut cum actu nominationis perſolverentur Diaconatui Eccleſiæ, in ſubſidium pauperum pro expectativa in Cathedrali aut Veteri Monaſterio 1100. floreni, in Capitulo S. Petri 900. S. Johannis 700.

S. Mariæ 800. anno 1636. is ordo fuit abrogatus, & relictâ Diaconis ſuorum pauperum curâ, hiſque alto præteruectis ſilentio, totum emolumentum ex Collationibus Præbendarum in Turno Civitatis, inter Ærarium Urbis & ipſos è Senatu Turnarios, fuit diſtributum. Eſtque ille Sapientiſſimus Senatus ita tenax ſuorum jurium circa hæc Beneficia, ut cùm olim nonnulla ex illis contuliſſet quibuſdam, ſub longè quidem minori recognitione, (ut anno 1609. D. Arnoldo van Deuverden, pro quo nonniſi 800. floreni Civitatis ærario, & 200. pauperibus, fuerunt perſolvendi; & anno 1613. Nob. D. Wernero van Lennip, pro quo ſoluti fuerunt 900. floreni Urbi, & 200. in uſum pauperum;) ſed tamen ſub hac conditione expreſſa, ne quis eorum quibus collata fuerant, poſſet reſignare in gratiam alterius (quòd aliàs Capitularibus licet,) abſque ſpeciali conſenſu Civitatis, idem Ampliſſ. Senatus anno 1643. 23. Octobris decrevit illis Canonicis eorumque Capitulis reſpectivè id omninò inſinuandum, ne forte neſcii conditionis ſub qua Beneficia ſua erant conſequuti, Capitularium cœterorum communi jure uterentur; additâ expreſsâ declaratione, quod ſi abſque illo Senatus Ampliſſ. conſenſu, reſignationem tentarent ſuorum Beneficiorum, illa eo ipſo vacare cenſenda forent in commodum Urbis, & collatum iri ad Senatus lubitum. Tales ſanè leges Ampliſſimus ille & Religioſiſſimus Magiſtratus, nunquam ſibi vel ſuis poſuiſſet, niſi cenſuiſſet nihil Spiritualitatis illis bonis ineſſe, & illa revera in libero eſſe commercio, neque neceſſariò deberi vel Miniſtris Eccleſiæ, vel pauperibus; ſiquidem ſecundis ſuis curis, his eripuit quod per priora ſua Statuta, illis ex pecunia Collationum aſſignatum fuerat; aliunde, uti credere par eſt, illis proſpiciendo: Nec enim crediderim Diaconos, ultrò repudiaſſe illud ſubſidium, neque amplius voluiſſe iſtiuſmodi pecunias in ſacram ſuam Corbonam inferre, ex ſcrupuloſioris Theologiæ determinatione, quod videlicet pretium eſſent ſanguinis, & in acquiſitionem illicitam Præbendarum expoſitæ. Quin ex his liquet Ampliſſimum illum Senatum, ſi quid olim difficultatis movit circa hæc bona, non ſpectaſſe *Caſum Conſcientiæ*, qui apud vulgus imperitum ſolet prætexi, ſed id quod Italis dicitur *Ragioni di ſtato*, id eſt Reip. ſuæ commodum, Ærarii ſui ampliationem, & ratio-

nem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

nem commodiùs & ſplendidiùs ferendi onera quæ illi incumbunt.

Parum autem intereſt an illæ ſummæ, quas dixi, exigantur ſub titulo Recognitionis, aut ſub titulo Venditionis; cùm revera tale pretium interveniat, ſine quo qui Prębendam ambit eam non ſit conſequuturus. Solent quoque Pontificij nundinationes ſuas Spirituales, plauſibilibus velare nominibus; Nam vulgò procedunt ſub nomine vel *Permutationis*, vel *Reſignationis*, ſed cum munuſculo unius Breviarij, ſive libelli uſualis, qui tamen multis millibus conſtat. Ita ſolet fucus fieri legibus, ut qui non poſſit dici contractus empti & venditi, abeat in contractum innominatum, *Do ut des*, *Facio ut facias*. Et miror eſſe qui querantur Præbendarum Ultrajectinarum poſſeſſionem non poſſe obtineri abſque ſumptibus & pretio, cum in hac Mercuriali Rep. apud homines in lacu Lucrino navigare ſolitos, omnia vænalia eſſe ſoleant, & pretio redimenda: Dixi ſuperiùs vulgó jus habitationis & menſæ abſque vitio redimi in Gerontotrophijs: In quibuſdam Provincijs nulla conferuntur Officia, vel Politica, vel Militaria, abſque tali recognitione, quæ de facto habet rationem pretii; Notum quoque eſt illa omnia in Galliis certo & publicè condicto pretio redimi; Et tamen qui redimunt, debent eſſe reſpectivè accepti Principi, atque qualificati & idonei ad illa munia, in quorum poſſeſſionem abſque Proviſione & Placito illius non immittuntur.

Et quo amplius conſtet Ill. & P. P. Ordines Provinciæ Ultrajectinæ, non tantum ſuis factis & decretis jam commemoratis, hæc bona Capitulorum in libero commercio poſuiſſe, ſed revera ea habere pro vænalibus, meminiſſe oportet adhuc duarum aliarum circumſtantiarum, quæ id ipſum luculenter confirmant. Anno 1624. 8. Julij conſtitutum fuit **dat men van alle Eccleſiaſtique Beneficien der Steden ende Landen van Utrecht / die vooꝛtaen vacant ofte gereſigneert ſullen woꝛden / den xl. penning ten impoſt van de weerde derſelver betalen ſal**; Perſolutum iri ex omnibus Beneficiis, Eccleſiaſticis vulgò dictis, totâ Provinciâ deinceps vacantibus aut reſignandis, nummum quadrageſimum pretij eorum. Anno vero 1649. 22. Maij iterum conſtitutum fuit, ut Dominij Reip. ampliandi gratiâ, in poſterum centeſimus nummus Quæſtori Dominiorum perſolueretur omnium vacantiûm aut reſignatorum Officiorum & Beneficiorum,

rum,

rum, Politicorum, Eccleſiaſticorum, Militarium, dependentium ex Adminiſtratione, Beneplacito & Regimine Ordinum, juxta eorum æſtimium ab Ordinibus, eorum-ve Deputatis aut Commiſſariis, faciendum; Et juxta hoc decretum, Catalogus conditus eſt pretij perſoluendi pro centeſimo hoc nummo, ratione cujuſque Beneficii. Ita Decanatus cujuſlibet Capituli, pendit centum florenos; Præbenda quælibet quæ reſignatur ab ipſo Capitulari, pendit in Capitulo Johannis 60. florenos, centum in reliquis omnibus; Quæ verò morte vacat, pendit in Eccleſia Cathedrali octuaginta, centum in Veteri Monaſterio, ad S. Petri & S. Mariæ quinquaginta, quadraginta ad S. Johannis, & ſic de cœteris. Jam verò certum eſt, primò quadrageſimum nummum perſolvi in illa Provincia de iis omnibus & ſolis quæ ſunt in libero commercio, ut liquet ex Ordinum Edicto ſuper ea re facto & publicè impreſſo anno 1637. Secundò nihil poſſe authoritate publicâ ad certum pretium æſtimari, ut pro rata vectigalia pendat, niſi quod ſæculare eſt & poteſt citra ſcrupulum emi & vendi; aliàs enim aurum nec pendunt nec poſtulant, quæ auro non emuntur. Quis ergo auſit ultrà negare, hæc bona ex totius Provinciæ publico, ſolemni ac multiplici judicio, ita inalienabilia eſſe quoad fundos, (quia id ſolemniter eſt ibi conſtitutum,) ut eorum reditus & uſusfructus ſint in libero commercio, & poſſint ab unoquoque, adhibito ſolito pretio, bonâ conſcientiâ comparari, modò ſit præditus qualitatibus ad id requiſitis, quoad natalia, religionem, probitatem, per quas queat fieri acceptus D. D. Ordinibus, & eorum Placitum conſequi?

Igitur non video cur hic non poſſit applicari, non tantum quod ſuo loco ante notavi ex Giphanio ICto Celeberrimo, bona Eccleſiaſtica non eſſe nullius, ſed alienari & obligari poſſe, verùm etiam quod habet Hoſpinianus *in fine ſui tract. de Orig. Bonor. Eccl.* quod teſtimonium in hac eadem cauſa urſi antea *Theol. Par. pag.* 118. & totidem ferè verbis legitur apud Zepperum *lib.* 4. *de Leg. Moſ. forens. cap.* 10. *Quod ſi quæratur, ſitne ille contractus, ceu ſimoniacus, irritus habendus, juxta decreta Conciliorum quæ commemoravimus, quæque deſcripta extant* 13. *q.* 1. *& extra. de præſcript. cum cauſam, &* 1. *q.* 3. *altare, quo decimæ aliaque Eccleſiarum bona, vel venditione vel alio modo in manus Laicorum pervenerunt? Reſpondetur, quoniam ab his Canonibus*

diſceſſum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

diſceſſum ſit, & aliæ decimæ ſint emptæ, aliæ hæreditario jure acquiſitæ, nonnullæ etiam ab iis ipſis Parochiarum præſidibus certâ quadam conditione traditæ Magiſtratibus, aut etiam hominibus privatis, nullo jure poſſe ab iis qui jure poſſident ad Parochias iterum transferri, niſi precibus & pecuniis redimantur. Adeo Doctiſſimus ille Vir non putavit eam eſſe horum bonorum naturam, ut nullo modo in libero commercio conſtitui poſſint. His addo quæ habet Philippus Melancthon, communis ille totius Germaniæ Præceptor, *Comment. in 5. cap. Danielis*, cujus verba haud pigebit annotare: *Non peccat*, inquit, *qui res templorum ad uſus profanos transfert, ſcilicet ſi id ſine furto & aliorum injuria fiat; ut enim furtum eſt ſi privatus res fiſci civitatis auferat ſine legitimo contractu, ita furtum eſt ſi privatus aliquid auferat ex rebus Eccleſiaſticis ſine juſto contractu. Poſſent autem res Eccleſiaſticæ per contractus transferri ab iis qui legitimè adminiſtrant eas, ex probabili cauſa, ſicut aliæ res fiſci.*

Hinc itaque apparet non ſolum non poſſe eſſe fraudi Canonicis Ultrajectinis, ut vulgò clamitatur, quod ſuas Præbendas ſibi comparant interventu alicujus pretij, (quod ſi non fieret & hoc illis magis vitio verteretur quod gratis eas poſſiderent,) ſed etiam eo ipſo juſto titulo niti eorum poſſeſſionem, quod publicâ authoritate publicisque Provinciæ legibus, hæc bona ſint poſita in libero commercio: Vnde hoc exurgit argumentum: Ea Spiritualia non ſunt, ſed merè Sæcularia, & poſſunt bonâ conſcientiâ redimi ab hominibus Laicis, quæ authoritate publicâ & legitimâ Supremi Magiſtratus, vendi & emi poſſunt, ceu poſita in libero hominum commercio: Atqui talia ſunt beneficia Capitulorum Ultrajectinorum. Ergo.

Quæ huic argumento voluit opponere S. P. nullius ſunt momenti. Vult ſibi probari conſtitutionem ſuo loco memoratam, 6. Junii 1580. fuiſſe pœnalem, ac revocatam eſſe: Sed ut bonus Vir, tabaco & cerevisiâ ebrius, non intellexit quę ſit ratio & conditio legum pœnalium, quā propter meliùs eum didiciſſe à ſuis Præceptoribus, ſic iſtius abrogationem tot argumentis hîc demonſtro, eamque factam *unanimiter*, ſive **eenparich**/ maximè ex parte Ampliſſimi Magiſtratus Ultrajectini, ut illam in dubium revocare nemo poſſit, niſi qui cum Elyma Mago palpet in meridie. Ridiculius longè, ac in Proceres ipſos

contumelioſius eſt, quod ait, **wat helpt dit voor u? genomen ſy waren te Coop geſet / ſeyden de Stichtſe Heeren / datter in de Coopinge geen beſwaringe voor de Conſcientie was?** Quibus verbis per proſopopœam, introducit Ordines Provinciæ Ultrajectinæ dicentes, Non ideo negamus gravari Conſcientias ementium hæc Beneficia, etſi ea vænui exponamus: ideſt revera ad quemlibet emptorum illorum quibuſcum contrahunt, verba uſurpantes Sacerdotū & Seniorum ad Judam Matt. XXVII, 4. *Quid ad nos? tu videbis.* Certè ſi quod gravamen ſit Conſcientiæ in emendis iſtis Beneficiis, non minus erit in illis vendendis; cùm id bonâ conſcientiâ vendi nequeat, quod abſque conſcientię gravamine emi non poteſt, & major ſit adhuc culpa venditoris in re furtiva, quam emptoris. Quare aut S. P. palam injurius eſt in Proceres ſuos, quibus affingit talem ſermonem, aut ſi eos habet pro viris bonis, probis & honeſtis, non poteſt illis tribuere, quod ea publicè vęnalia habeant, quę citra gravamen conſcientię emi ipſiſmet judicibus non poſſint: In quo ſanè peccato, & multis paraſangis ſuperarent Trapezitas, tam odioſos his novitiis Theologis, cùm ſaltem ab illis mutuo ſumi poſſit, abſque gravamine conſcientiæ; & deberent æquiparari lenonibus, qui infames illas merces exponunt vænui, quas nemo illæſâ conſcientiâ, & citra graviſſimam in Deum culpam, redimere poteſt. Ita ſcilicet & benè merentur, & benè loquuntur, de ſuis Superioribus, iſti Ardeliones, qui nihil penſi habent quid effutiant. Et certè niſi à *facto ad jus* hîc valeat argumentum, quod negat Sycophanta Publicus, in minori culpa hîc non erunt Ordines ipſi, quam Canonici; cùm hi non fuiſſent empturi ſua Beneficia, niſi publicâ illorum authoritate vænalia extitiſſent. Et vulgare adagium huc poſſit applicari, non extituros fures ſi receptatores non fuerint: Non intelliget tamen jus Magiſtratus Supremi circa hæc bona Pſeud-eccleſiaſtica, quorum habet dominium directum, qui negaverit penes illum eſſe ea in *libero commercio* collocare. Porrò, ut hic homo ſomniat perperam, non dixi revocationem illius legis pœnalis factam eſſe propter *Canonicos malè affectos Reip.* Sed è contrario eorum causâ illam ipſam legem latam fuiſſe; & cùm Ordines eorum transfugarum Beneficia ceu vacantia, contulerint hominibus honeſtis & probis, de Rep. benè meritis, ac religionem Reformatam

formatam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

formatam profitentibus, laicis tamen, eo ipſo agnoverunt ea non eſſe formaliter & propriè Eccleſiaſtica, ac quæ ſolis Eccleſiæ Miniſtris deberentur. Quantum vero ad retorſionem hujus noſtri argumenti quam molitur Sycophanta, non eſt quod eam moremur, cum meram eamque ſtultam petitionem principii contineat; Illa, inquit, bona quæ non ſunt purè ſæcularia, ſed revera Eccleſiaſtica, quæ vel abuſivè extra neceſſitatem, vel bono jure Magiſtratus, in caſu neceſſitatis, vendi poſſunt, nequeunt tanquam ſæcularia ab hominibus laicis poſſideri; cùm à nullo legitimo Magiſtratu, abſolutè vendi, aut ullo modo minui, aut in libero commercio conſtitui poſſint: At tales ſunt Canonicatus Ultrajectini. Etenim præterea quod hæc bona nonniſi abuſivè Eccleſiaſtica dicuntur, ſi major iſtius belluli argumenti ſit vera, nulla bona Pſeudo-eccleſiaſtica, publicâ authoritate vendita, poterunt bonâ conſcientiâ poſſideri ab ullo privato & Laico, cui arcanum Reip. penitùs non pateat, & planè conſtet quod ea diſtrahendi & vendendi ſat urgens neceſſitas Supremo Magiſtratui fuerit. Ultrajectina quod ſpectat, ij ſoli poſſunt negare Supremum Magiſtratum jus habere de illis diſponendi pro lubitu, ex lege fundamentali eaque illibata ſuæ Reip. qui audent adverſus eos ſcribere, qui proſcribere poſſunt. Et quod ea imminui nolunt Ordines Provinciæ, pro me facit; quia ſic illa volunt, juxta pacta conventa per Unionem Ultrajectinam, in ſua maſſa conſervari, in uſum, non Eccleſiæ Reformatæ ac Miniſtrorum illius, ſed Collegiorum eorum quæ primum in Rep. membrum conſtituere debent; Verum nihil obſtat quominus eorum Beneficiorum, quorum fundos imminui vel alienari non ſinit Supremus Magiſtratus, uſusfructus ponatur ab eodem in libero commercio: Hæc tam benè conveniunt & in una ſede morantur, ac noſtro Cenſori peſſimè convenit cum ratione & ſapientia, extra quarum oleas perpetuò vagatur.

CAPUT UNDECIMUM.

In quo agitur de Iuramento Capitularium, & oſtenditur, loco argumenti noni, eo ipſo Canonicorum conditionem eſſe licitam, quod licitè jurent in Statuta ſuorum Capitulorum.

UT nefas eſt ſervare quod perperam & vitioſè juratum fuerit, juxta illud Iſidori, *In malè promiſſis reſcinde fidem, in turpi voto muta decretum*, ita nequit illicitum ſtatui, quod benè & licitè juratur. Si itaque oſtendero licere Canonicis Ultrajectinis jurare in ſuorum Capitulorum ſtatuta & leges, nihil erit quod amplius in conditione eorum, Momi & Cenſores ulli jure carpere queant. Solet enim in illis improbari modus quo in ſuorum Beneficiorum poſſeſſionem deveniunt, tum quod eam ſibi pecuniâ compareant, tum quod ejus uſum nonpercipiant niſi præſtito ſolemni juramento: De primo abundè dictum præcedenti capite; De altere paucis dicendum reſtat, eò quod ſufficienter hactenus deducta ſint quæ huic cauſæ elucidandæ inſerviunt.

De Capitularium juramento, non conſona ſcribuntur ab eorum adverſariis: Ille anonymus Poſtmonitor contra me, de quo dixi ſub finem *cap.* 9. qui anno 1644. communicatis agebat conſiliis cum Celeberrimo D. Voetio, & illius ferè omnia tranſcribebat, libelli ſui *pag.* 88. magnum diſcrimen expoſiturus inter Capitula ſive Collegia Canonicorum quæ ſunt Ultrajecti, & Sodalitium Sylvæducenſe, cujus legitimam Reformationem, noſtrorumque in illud admiſſionem, defenderam, ſic loquebatur; *Non juratur* (ſupple Ultrajecti) *in conſervationem & erectionem primam Collegiorum & Canonicatuum olim in Papatu factam.* Sed tamen ipſe Celeb. D. Voetius in *Appendice* contra me edita anno 1643. ad *Diſputationem de Idololat. ind. & part. pag.* 187. *& ſeqq.* in Canonicis ſuis duo deſiderabat; Alterum quod *non ſatis accuratè ſe haberet uſus redituum illorum*; ipſis tamen utentibus ab omni *Idololatria participata* liberatis, adeoque à ſpecie ſyncretiſmi cum Papatu in priorum ſuorum Nominum retentione; quanquam poſtea eò relabatur, cùm ait hunc ſcrupulum tamen remanere, *quam licitè, ſaltem quam decorè, & quanta cum ædificatione atque honore Reformatæ Religionis & Eccleſiæ*

leſiæ, tituli Eccleſiaſtici aſſumantur à Collegiis merè politicis ſeu politizatis? ut eâ ratione hic ſcrupulus non tam ſit conſcientiæ, quam decori & honoris externi, ac ſi Eccleſia Reformata, cui tituli illi Pſeudo-Eccleſiaſtici convenire non poſſunt, ex eorum vicinia in Capitulis Urbanis marceſceret, ut vitis languere ſolet, ſi braſſicæ juxta eam conſerantur. Alterum *quomodo jurari poſſit in conſervationem ſtatutorum præſentium & futurorum &c. Eccleſiæ Collegiatæ ſeu Capituli &c. Nolo enim* (inquiebat) *propter rationes reliqua ex libro Iuramentorum exhibere.* Illa tamen magna Myſteria, quæ volebat Vir Doctiſſimus latere ſub duplici &c. & Eleuſiniis ſacris occultiora remanere, videntur Eruditiſſimi authores *Conſilii Theol. p.* 1. *pag.* 55. tandem propalaſſe, editâ formulâ juramenti quam ajunt ſervari in Capitulo Canonicorum quod eſt Batavoduri.

Hæc omnia quidem mihi videntur malè cohærere; ut alter neget omninò jurari à Canonicis Ultrajectinis *in conſervationem* ſuorum Collegiorum; alter illis tam horrendum carmen videatur adſcribere, ut nequidem illud, ceu piarum aurium nimis offenſivum, auſit perituræ committere chartæ; alij non Ultrajectinorum Capitulorum juramentum promant, ſed tantum Batavodurenſis; Quod ſanè eo faciliùs queam præterire, quod de Ultrajectinis tantum diſputem, & ſint boni Batavodurenſes Præbendarii minorum gentium; Siquidem eorum Præbendæ, ex Catalogo Provinciali ſuperiori capite citato, perſolvant tantum 12. florenos pro centeſimo nummo, cùm Ultrajectinæ pendant ut plurimum 100. nullæ minus quam 40. Et fateor me planè neſcire quæ ſit ratio illius Collegij; Nihil enim de illo deprehendo in Reſolutionibus illius Provinciæ, niſi quod *fol.* 10. *recto*, *art.* 24. dicitur Canonicos Batavodurenſes obligatos fore in poſterum Reip. inſervire, quomodo poſtea conſtituetur. Et cùm illud Capitulum nihil habeat juris in regimine Provinciæ, & ex mero Ordinum arbitrio conſervatum fuerit, ut illius Beneficia poſſent conferre quibus luberet, nemo non videt illud perperam huic Controverſiæ immiſceri. Et ſi quid ſit vitii in eorum juramento, vel quoad Politiam, vel quoad Conſcientiam, ejus corrigendi cura eſt committenda, vel Magiſtratui, cujus authoritas eo læderetur, vel R. R. Paſtoribus & Presbyterio illius Urbis, quorum eſt invigilare ne quid ab Eccleſiæ ſuæ membris

fiat quod cum Dei Verbo & officio bonorum Reformatorum pugnet.

Id quidem certiſſimum, nullum Canonicum admitti Ultrajecti qui non juret in Statuta Capituli, eique ac illius Præfectis omnem cultum, reverentiam, fidem & obſequium polliceatur; Sed ſi quid Doctiſſ. Authores *Conſilii Theol.* in eorum juramento cenſurâ dignum obſervaſſent, illud, potiùs quam Batavodurenſe, emiſiſſent in publicum; quod cùm non fecerint, iniquior is foret Cenſor & judex, qui ex priſca formula Batavodurenſi, de hodierno Canonicorum Ultrajectinorum juramento ſtatui vellet. Equidem dubium non eſt quin ex formula quæ obtinebat olim ſub Papatu, debuerint jurare Canonici Batavodurenſes ſe obſequuturos ſuo Epiſcopo; Sed vix mihi perſuadebitur unquam ita juraſſe Canonicos Ultrajectinos, cùm hæc quinque Capitula ſemper plus habuerint authoritatis in ſuum Præſulem, quam ipſe in illa; Vnde etiam maximè per Canonicos & Capitula, proceſſit mutuum illud violentum, amplius quam 40000. florenorum, cuius meminit P. Borrius *lib.* 10. extortum primo & ultimo Archiepiſcopo Ultrajectino: Commiſſionis enim illius capita nominantur, Auſonius à Galama, Canonicus in Cathedrali Eccleſia, & Willelhmus à Lamſweerde, Ordinum & Capituli Cathedralis Secretàrius: Hi namque ſub ipſius Archiepiſcopi oculis, curarunt ciſtas effringi in quibus recondita erat illius pecunia, quam ultrò nolebat Ordinibus concredere; quamvis poſtea ſibi gratularetur quod argenteam tantum pecuniam rapuiſſent, & aureum montem intactum reliquiſſent. Multo minus exiſtimandum, vel etiam Batavodurenſes, vel Ultrajectinos de quibus ago, hodie jurare in verba Epiſcopi; cùm Eccleſia Ultrajectina, ſenſu Pontificio, non Epiſcopum debeat ampliùs habere, ſed Archiepiſcopum; & ſenſu Politico, ita Epiſcopatus & Archiepiſcopatus omnis fuerit ſepultus cum Tautemburgio in illa Provincia, cujus Ill. & P.P. Ordines omnia jura Epiſcopalia poſt ejus obitum ſibi ſuo jure vendicarunt, ut non minus læſæ communis rationis & Maieſtatis reus foret, qui illîc aliquem ſibi fingeret Epiſcopum, cui iuraret obſequium, quam ſi poſt exauctoratum Regem Hiſpaniæ, vellet urare in Belgio Fœderato ſe ſuo Regi obſequuturum.

Imò magno argumento eſt, nihil vitii habere iuramentum Canonicorum Ultraiectinorum, non tantum quod de eo ſiluerunt, & ejus loco obſole-

obſoletam Batavodurenſem formulam ſuppoſuerunt, qui ex profeſſo & acerrimè ſcripſerunt in illos, ſed etiam & maximè quod Veneranum Eccleſiæ Ultrajectinę Presbyterium, Capitulorum ſuorũ membra ſemper admiſit ad Sacram Synaxim; nunquam id facturum, ſi eorum juramentum aliquid execrandum, abominabile, & quod ſpectet ad vinculum ullum iniquitatis, continere cenſuiſſet: Licet enim in multis toleret Eccleſia quæ non probat, tamen nemo ſanus dixerit, tolerabilibus eſſe annumeranda juramenta publica & ſolemnia, toto ſuo genere vitioſa, & in quibus homines ſe ad res nefarias & illicitas obligent. Nec Synodus Nationalis Medioburgenſis, cùm pronunciavit Canonicos Ultrajectinos, eſſe citra ſcrupulum admittendos ad Sacram Cœnam, cenſuit primò eos eſſe abſolvendos à ſuo juramento, aut ſaltem debere ei ſolemniter renunciare. Neque putavit eos teneri vi ſui juramenti ad quicquam Superſtitioſum & Idololatricum, ſiquidem eos omnis Idololatriæ & Superſtitionis immunes declaravit.

Sed ne videar hoc generali reſponſo eludere magis quam elidere hanc objectionem deſumptam à Juramentis, quæ ad hæc Beneficia poſſidenda exiguntur, bonâ fide referam quid mihi conſtiterit, ex omnibus formulis Juramentorum iſtorum, tam iis quæ olim ſub Papatu uſurpabantur, quam illis quæ obtinent hoc tempore: Primò itaque in priſcis illis formulis nihil reperio illius obedientiæ promiſſæ *Epiſcopo*, quæ in Batavodurenſi maximè notatur & improbatur: In ſolo Capitulo Mariano, Canonicus jurabat *obedientiam Decano*, *Epiſcopo* ſuo *ſtabilitatem*, ac *Eccleſiæ* ſuæ *fidelitatem*, Sic tamen ut unà promitteret ſe *nullum negotium clauſtrale* tranſlaturum *à Decano* aut *Capitulo*, *vel ad Epiſcopum*, *vel ad Archiepiſcopum*, *vel etiam ad Dominum Papam*, niſi quo caſu *juſtitia* ſibi *à Capitulo fuerit negata*. In reliquis Capitulis promittebat Canonicus ſuæ Eccleſiæ *fidelitatem*, *obedientiam Decano*, *& Capitulo ſtabilitatem & continuum ſervitium pro noſſe & poſſe*, (ſunt verba formulæ Capituli S. Salvatoris, quod Veteris Monaſterij vulgò dicitur) & quod nullum negotium à *Decano vel Capitulo* ſuo, ſit *Epiſcopo* aut *Archiepiſcopo* tranſlaturus. At fidei & obeedientiæ præſtandæ Epiſcopo, ne γρὺ quidem. Secundò fateor in veteribus formulis, aliquid fuiſſe vitioſum: Nam concludebantur ut plurimum illâ formulâ Idololatricâ & profanâ, *Sic me Deus*

adjuvet

adjuvet & Sancti ejus; Quin in Johannæo & Petrino jurabatur expreſsè, in *omnia & ſingula decreta Concilij Tridentini, prout quinque Capitula Trajectenſia eadem acceptarunt*: Reliqua omnia erant de Capituli ſtatutis ſervandis, de vitandis contentionibus adverſus Capitulum aut illius membra, de acquieſcendo in portione ſibi aſſignata, de Collegij ſecretis non revelandis, & Præbenda ſua non oneranda, vel alienanda, de nullo pretio vel dato vel dando pro Præbenda &c. Tertiò hodierna juramenta nihil planè habent quod jure carpi poſſit. Nam in genere omnia præſtantur ſolius Dei nomine, his ſolis verbis, *Ita me Deus adjuvet*: In ſpecie verò, in Cathedrali Capitulo jurat Canonicus ſe in Capitulum venturum quoties à *Decano* eò fuerit vocatus; *Utilia* conſulturum, *inutilia* omiſſurum; *Iura* Capituli, ejuſque *bona*, cuſtoditurum & defenſurum; *Res & jura* illius non alienaturum, ſed alienata *pro noſſe & poſſe* recuperaturum; *Secreta* Capituli *non Capitularibus*, vel iis quibus tacenda fuerint, non revelaturum. Vicarius verò ibidem promittit *obedientiam Decano*; *fidelitatem* Capitulo, ſive Eccleſiæ ſuæ; *obſervationem ſtatutorum* præſentium & futurorum, ſive ſcripta ſint, ſive ἄγραφα; nec non *jurium* & honeſtarum *conſuetudinum* Capituli; nullum jurgium adverſus ſuos confratres ſuſcepturum ultrò, aut ſuſcipientem conſilio vel re adjuturum; nullum negotium ad Capitulum ejuſque libertatem ſpectans, abducturum à ſuo *Decano & præſenti Capitulo*, niſi caſu juris non ſervati aut ſibi denegatæ juſtitiæ: Aſſeverat item ſe ingenuum ſive liberæ conditionis & ex legitimo thoro natum eſſe. In Capitulo S. Salvatoris, hoc eſt juramentum quod à quolibet Canonico in primo ſuo introitu exigitur; *Ego N. N. juro per Deum, qui me ſanguine ſuo redemit, fidelitatem Capitulo Eccleſiæ S. Salvatoris, obedientiam Decano, & Capitulo meo ſtabilitatem & continuum ſervitium pro poſſe & noſſe meo, & quod ſervabo ſtatuta, & conſuetudines honeſtas & bonas hujus Eccleſiæ Capituli, dum particeps ejus eſſe voluero; nec ullas contentiones adverſus Capitulum vel quemquam Collegarum meorum pertinaciter vel contumaciter aſſumam, nec ullum negotium Clauſtrale, à Decano vel Capitulo meo transferam, niſi in omnibus prædictis juſtitia mihi denegata, vel ordine judiciario non facta fuerit. Sic me Deus adjuvet.* Hîc non juratur ut in

veteri

veteri formula per Deum *& per ſancta Euangelia*; non fit, ut in
lla, mentio nullius negotii clauſtralis ad *Epiſcopum* vel *Archiepiſco-
um* transferendi; non concluditur, ut olim, his verbis, *Sic me Deus
adjuvet & omnes Sancti ejus*: Et inter cœtera quæ ex priſca formula
eſſant, hæc inter alias inducta eſt pericopa, *nec pro Canonicatu
quidquam dedi vel dabo, vel aliquis pro me, me ſciente vel conſen-
iente, & ſi quis promiſit vel dedit, nunquam ſibi ſolvam*: quia vi-
delicet hæc Beneficia nunc ſunt, uti antea fuit probatum, in libero
ommercio: Hoc verò eſt hodiernum in eodem Capitulo juramen-
um Canonicorum, cùm admittuntur; *Ego N. N. juro quod pro
meo noſſe & poſſe ſanius conſilium Eccleſiæ meæ tam in Capitulo quam
xtra præſtabo; Nullas rixas ſeu contentiones ibidem exercebo; Secre-
a Capituli, etiam univerſalis, nemini revelabo. Sic me Deus adjuvet.*
Qua in formula, id ceſſat quod erat in veteri, *Ego N. N. in ordine
ſubdiaconatus conſtitutus, juro ad Sancta Dei Euangelia quæ manu mea
ango* &c. quia videlicet omnis Spiritualitas Pontificia exulat ex iſtis
Collegiis, quæ nihil priſci ordinis retinent præter id quod tempo-
ale & ſæculare eſt. Sic cum in veteri juramento Sociorum ejuſ-
em Capituli, inter alia promitteret qui jurabat *ad Sancta Euan-
elia*, ſe *Officium* ſibi *incumbens tam in ſpiritualibus quam in tem-
oralibus fideliter* adimpleturum, qui jurat hodie promittit duntaxat,
ullâ *Euangeliorum*, nullâ *Spiritualium* factâ mentione, quod quamdiu
ræſens *Beneficium* ſit poſſeſſurus, *obediens & fidelis* erit *Domino Deca-
o* & toti Capitulo, nec res & prædia ad ſuum Beneficium ſpectantia ſit
lienaturus, vel elocaturus alii, niſi *de conſenſu Decani & Capituli, aut
Camerariorum pro tempore exiſtentium*; Alienata pro poſſe recuperatu-
us, cuſtoditurus & defenſurus; *Diſciplinam, bonos mores, conſuetudines
& ſtatuta præſentia & futura* Capituli obſervaturus; De nullo negotio
Capitulari litem moturus niſi coram Decano & Capitulo, nullam-
que controverſiam ſuſcepturus adverſus Capitulum, aut illius mem-
bra, aut proſequuturus alterius, cujuſcumque fuerit, nomine. In
Capitulo Mariano hodie jurat Canonicus ad *Sacro-Sancta Euange-
ia* & illis tactis, *obedientiam* Decano, & Capitulo *fidelitatem* & ul-
roneum ſervitium, & quod honeſtos ritus, mores & conſuetudi-
nes Capituli ſive *conventus* illius ſit ſervaturus quamdiu ejus

membrum fuerit, & celaturus *illius Secreta*; ac denique quod ſit de legitimo thoro natus. Jurat ibidem Vicarius ſe quamdiu præſens Beneficium poſſidebit, obedientem & fidelem futurum Decano & Capitulo, nihil prædiorum ex ſuo Beneficio alienaturum, nihil etiam elocaturum abſque venia & conſenſu Decani & Capituli; bonos ritus, honeſtas conſuetudines & *ſtatuta* Capituli ob ſervaturum. Erat olim utrumque juramentum multo prolixius, ac præſertim qui Vicariatum conſequebatur, jurabat ſe præſtiturum Capitulo & Eccleſiæ tam *in Choro quam extra, cum omni diligentia continuum ſervitium*, *ſalvâ* tamen ſibi *in hujuſmodi ſervitio diſpenſatione* Decani & Capituli; item *officium* ſibi *incumbens tam in ſpiritualibus quam temporalibus, fideliter adimpleturum*; Sed iſta ac ſimilia inducta ſunt, poſt Capitulum reformatum ac ſæcularizatum. Ut omnes illæ clauſulæ nunc ceſſant, ex quibus colligi poſſet nefas eſſe ullum pretium dare aut accipere pro Beneficio, vel obtinendo vel reſignando. In Capitulis Joannæo & Petrino, (nam formulæ ſunt ſimiles, niſi quod Petrinum Capitulum nuper induxerit mentionem Euangeliorum & contactus illorum, quam Joannæum retinet;) juratur ſimpliciter obedientia Decano & Capitulo bonarum illius conſuetudinum obſervatio; Secretorum retentio; à litigiis abſtentio: Ut revera nodum quærat in ſcirpo, qui in hodiernis Capitulorum juramentis, quidpiam Superſtitioſum, aut quod ultra Collegia merè ſæcularia extendi queat, reperire conetur. Ex his autem patet, quantum diſtent æra lupinis, & quam præpoſterè à formula Batavodurenſi, Doctiſſimi Anticanonici argumentati fuerint ad juramenta Capitularium Ultrajectinorum. Nam in nullo Capitulo Ultrajectino juratur, ut in Batavodurenſi, vel *Epiſcopo* vel *Archidiacono*, ſed tantum Decano & Capitulo; nec juratur uſpiam Ultrajecti ſub illa formula, quæ Batavodurenſis eſſe dicitur, *Ita me Deus adjuvet, & hoc Sanctum Euangelium*; ſed ſimpliciter & unicè ſub iſta, *Ita me Deus adjuvet*: ut hac parte debeat ſatisfactum fuiſſe S. P. petenti ſibi oſtendi diverſitatem inter juramentum Batavodurenſe & Ultrajectinum.

Et ſanè ſi quid eſt improbandum in hodiernis Capitularium Juramentis, ſpectat vel eorum Statuta & Privilegia in quæ jurant, vel formu-

formulã ſub qua jurant, aliquando, tacto Euangelio, ut vulgò loquuntur, & ſub his conceptis verbis, *Ita me Deus adiuvet.* De utroque ergo ſeorſim aliquid dicendum eſt. Quantum ad ea in quæ Canonici jurant, nihil video quid carpi poſſit: Nam quicunque ſubit aliquod Collegium licitum, quod ſuis gaudet Privilegiis, & ſuis Statutis regitur, in utrorumque obſervationem & conſervationem jurare ſolet; Hæc enim Capitula, illicita abſolutè facere, cum S. P. eaque maledicè conferre cum Collegiis ac Societatibus furum & latronum, eſt Reip. fundamentum non tantum concutere, ſed penitùs ſubruere. Nec magis debet iis vitio verti quod in ſua Statuta & Privilegia jurent, qui conſtituunt primum membrum Reip. quam Civitatis ipſius & aliorum Oppidorum in Provincia Magiſtratibus & Officiariis, qui ſuarum Vrbium reſpectu ſimilia jurant. Ipſi-met Ill. P. P. Ordines Ultrajectini, Domicellarum Cœnobia mutantes in Collegia Canonicarum Nobilium, *art.* 5. *Inſtructionis* earum, ſtatuunt illas promiſſuras & juraturas, ſe obedientiam & reverentiam debitam exhibituras ſuæ Abbatiſſæ & communi Capitulo Domicellarum, quamdiu ſint in Conventu vel ex Conventu futuræ, & ejus Præbendam percepturæ; & omnes *Ordinationes ac Statuta* ſui Cœnobii vel jam facta, vel porrò facienda ad Ordinum beneplacitum, ſe quoque obſervaturas.

Nec eſt quod quis dicat Statuta & Privilegia Capitulorum in quæ jurant Canonici, multa continere quæ Superſtitionis & Idololatriæ ſpectant exercitium, & multa retinere quæ ſunt Papalis & Eccleſiaſtici Regiminis, aut ſaltem illud æmulari videntur; quæ cauſa forte ſit cur hactenus Eccleſia Reformata Ultrajectina Belgica, (nam ibidem aliud obtinere in Eccleſia Wallonica, ut in multis alijs Eccleſijs utriuſque linguæ Fœderati Belgij, Amſterodamenſi, Zwollana, Hagienſi, Batavodurenſi, & notorium eſt, & obiter viſum ſuo loco) ſollicitè caverit ne quem illius ordinis in Seniorem aut Diaconũ eligeret. Verumenimverò ullam ſupereſſe cauſam canonicam & legitimam, in Canonicis Reformatam Religionem profitentibus, (maximè ex quo eorum Capitula nullis aliis conſtare debent,) & ad Sacram Cœnam publicè admiſſis, cur ad Regimen Eccleſiæ Reformatæ non ſint admiſſibiles, hactenus intelligere non poſſum; Nullus enim qui eſt Eccleſiæ membrum, quamdiu tale publicè habetur, poteſt pronunciari irre-

gularis ad hæc munera; Et ſiquidem per Diſciplinam Fœderati Belgii *art.* 80. illi ſolum ſunt removendi ab iſtis Muneribus, qui rei ſunt talis culpæ, quæ in alio membro abſtentionem à Sacra menſa mereretur, neceſſe eſt viceverſa admiſſibiles cenſeri ad illa, ſaltem poſitivè eorum incapaces non poſſe pronunciari, qui judicantur, ut factum de Canonicis Ultrajectinis à Synodo Nationali, nihil in ſua conditione habere culpæ ullius, propter quam à Sacra Cœna arcendi forent. Neque ſi Synodus, habitâ temporum & aliarum circumſtantiarum ratione, quam ſuo loco retuli, monuit illos non temerè admittendos eſſe ad reg.men Eccleſiæ, per id eos pronunciavit abſolutè irregulares & non eligibiles ad iſta Munia. Et cùm aliud longè ſit aliquem præterire & non eligere ad aliquod munus, quod in libera electione liberum eſt, aliud eum inhabilem & non eligibilem pronunciare, crediderim quidem, quia ſic video affirmari, Venerandum Eccleſiæ Ultrajectinæ Belgicæ Presbyterium, ultrò hactenus abſtinuiſſe ab ullo ex Canonicorum ordine in Seniorem aut Diaconum eligendo; ſed non putarim ullum condidiſſe decretum poſitivum de illorum inhabilitate & irregularitate ad hæc Officia quod procedere non potuiſſet abſque notoria & evidenti eorum injuria, atque Conſtitutionis Synodicæ nimio contempu. Hinc in ea Urbe honorificè vocati & admiſſi ſunt ad regimen EccleſiæGallo-belgicæ, ut aliàs dictum, D. Daniel Symons van de Wouwer, Canonicus ad S. Petrum; D. Cornelius de Goyer, MedicinæDoctor experientiſſimus, Canonicus ad S. Mariam; Ampliſſ. D. Jaſpar Schadè, Canonicus ad vetus Monaſterium, unus ex Octo-viris ad Reip. regimen ex Capitularium ordine electis; ut in Hagienſi ſæpiùs D. David de Willem, Senator in Curia Brabantina integerrimus, Celſiſſimique Principis Auriaci Conſiliarius prudentiſſimus, ab Eruditione & Pietate commendatiſſimus ac notiſſimus, in Veteri Monaſterio Canonicus; & cujus ob veterem meam cum ipſo neceſſitudinem, honorificam hîc debui facere mentionem; in Amſtelodamenſi aliquoties D. Nicolaus Walens; in Batavodurenſi Nob. D. Nicolaus Ploos van Amſtel, Capituli Cathedralis Canonicus; In Zwolenſi, Nobiliſſ. D. Henricus Schaap van den Dam, Canonicus & Præpoſitus ad S. Mariam, qui etiam ad id muneris ſacri traductus eſt, non ſine quadam ſui contradictione, ut

olim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

olim boni Epiſcopi creabantur, & cum profeſſus eſſet publicè ſe eſſe Canonicum Ultrajectinum, & ex eorum grege quos Ultrajectini quidam rigidiores Theologi, ſolent inter Apocryphos referre.

Iſtius autem præteritionis vel non electionis Canonicorum Ultrajectinorum in Eccleſia Belgica majori ad hęc munia, vera ratio non eſt arceſſenda à conditione Statutorum & Privilegiorum ſuorum in quæ jurant: Si enim ad id quippiam conferret, valeret itidem ad eos à Sacra Cœna removendos, contra Synodi Nationalis judicium; Nec etiam illius præteritionis vera cauſa eſt, quod videantur in ſuorum Statutorum obſervatione retinere umbram, odorem & ſpeciem aliquam *Papalis & Eccleſiaſtici regiminis*; quo altare contra altare, & in Eccleſia Reformata aliud regimen Eccleſiaſticum, quadantenus erigere credi poſſint; Nam debet eſſe valde emunctæ naris & naſi pluſquam Critici, qui aliquid odoretur in Capitulorum Ultrajectinorum regimine, Papalis & Eccleſiaſtici formaliter; cùm omne illorum regimen circa τὰ βιωτ κ & res ſæculares ac temporales verſetur, nihilque habeat illius *Iuriſdictionis*, vel *interioris*, vel *exterioris*, quam ſibi vendicant Eccleſiaſtici in Papatu; nihil quod ullo modo ſapiat Pot ſtatem Clavium Euangelicarum, aut ad ejus exercitium directè vel indirectè ſpectet: Ac prout ridiculi fuiſſent Conſules Romani, ſi poſt Reges exactos, ſuæ authoritati & libertati publicæ malè metuiſſent à Rege Sacrificulo, in quo regium nomen perennabat; quia ille in ſolis ſacris occupabatur, & nihil attrectabat civile aut politicum; Sic viceverſâ, non poteſt ſibi & juriſdictioni ac authoritati Eccleſiaſticæ, rationabiliter metuere Venerandum Presbyterium Ultrajectinum, à Capitulis & Canonicis Vrbis, ut pote qui ſub nominibus ad Regimen Eccleſiaſticum in Papatu quodammodo ſpectantibus, (quamvis valde remotè & impropriè, ut viſum ſuo loco) nihil tractent niſi temporalia & civilia; *Diviſum imperium cum Iove Cæſar habet.* Et quæ hîc maledicus S. P. Papiſtica ſomniat; *intrinſecè* & *extrinſecè*, in *bonis*, in *juramento*, in *poteſtate*, in *nominibus*, ſufficienter hactenus ſunt refutata: imo talia ſunt quæ nemo videt præter ipſum: Nec video quî potius papaturire negentur ipſe & ſui ſimiles, dum tam vehementer inhiant illis bonis, qui ipſis ſunt *intrinſecè* & formaliter, *bona Papiſtica*, de Papiſche goederen. Sed quicquid contrà ſtrepant cum ſuo S. P. Sycophantæ

phantæ publici, ut inde probent offenſioni eſſe toti Eccleſiæ hæc Capitula, (quos ſanè Vltrajecti redarguit Eccleſiæ Gallobelgicæ, ut aliarum alibi in Belgio Eccleſiarum, publica praxis, quâ Capitulares ad Eccleſiaſticum regimen cũ ędificatione & fructu admittuntur,) illius non electionis vel præteritionis Canonicorum Vltrajecti ad munia Eccleſiæ primariæ, ſive Belgicæ, genuina ratio videtur eſſe merè Politica; *Maxime & jalouſie d' Eſtat*: Cùm enim Civitatis Vltrajectinæ regimen ſit valde Democraticum & populare, & grave foret Vltrajectinis Civibus in ſua Vrbe ſubeſſe vel Politicè vel Eccleſiaſticè, ulli ex ordine Equeſtri aut Capitularium, eadem ratione & pariter prætereuntur in Seniorum & Diaconorum electione tum Canonici, tum qui ſunt ex Equeſtri ordine, (ſaltem ut plurimùm; & qui me hîc mendacij inſimulat, S. P. contrarium liquidò demonſtrare debuiſſet, & oſtendere quinam ex Nobilibus, qui jus habent comparendi in Comitiis & ſecundum Provinciæ membrum conſtituunt, ſint Eccleſiæ Vltrajectinæ Belgicæ Diaconi aut Seniores; tales illîc apparent rari nantes in gurgite vaſto:) quâ neque ex illo, neque ex hoc, quod ſciam, quippiam ibi eliguntur in Conſules, Scabinos, Senatores, Hoptmannos ſive Capitaneos, alioſ-ve Officiarios ordinarios Civitatis; ut ſic quantum Canonici & Equites præſtant Civico ordine in Comitiis, quorum hic nonniſi ad tertium membrum ſpectat, tanto ſint infra Cives in Vrbe, excluſiſſimi à regimine Sacro & Civili, & Civium ac Civicorum regimini tam in Sacris quam in Politicis ſemper obnoxii, juxta id quod dici ſolet, Quemque eſſe regem domi ſuæ. Nec proculdubio aliud movit Sapientiſſimum & Ampliſſimum Urbis Magiſtratum, ad obtinendum ab aliis duobus membris conſenſum circa erectionem Academiæ, quæ ſibi ſoli ſubeſſet, (cùm aliàs erectio Academiarum ad *Regalia* pertineat, & ſummarum tantum ſit Poteſtatum,) quam ne aliquid Juriſdictionis Academicæ in ſua Urbe alia duo membra obtinerent, ut obtinere debuiſſent ſi Academia Provincialis fuiſſet. Quod facit ad illius Ampliſſimi Magiſtratus ſolertiam & prudentiam commendandam; nullo modo verò, ut calumniatur S. P. qui neſcit quid dicat, ad illius injuriam.

Aliàs quoad Statuta & Privilegia in quæ juratur à Canonicis, certum eſt non aliter in illa jurari, quam reſpectu ejus quod remanet in eorum

Colle-

Collegiis purè putè Civile, Temporale & Politicum: Sanè non jurant in ulla Statuta quæ eos obligent ad Cœlibatum; nam per leges Provinciæ, licet ipſis eſſe conjugatis: Vel ad obedientiam præſtandam Papæ, mediatè aut immediatè, directè vel indirectè; nam Capitula omnia ſolemniter cum tota Provincia renunciarunt unà Pontifici & Hiſpano, Ibericæ & Italicæ tyrannidi, Spirituali & Corporali ſervituti, & manum utrique illi ferulæ, ſemel pro ſemper, ſubduxerunt: Vel ad Miſſificationem in ſuis Eccleſiis; nam Ultrajecti Miſſa exulat in æternum ex authoritate publica, & Eccleſiæ Capitulares (ſic vulgo Templa appellantur) Reformato cultui addictæ ſunt: Vel ad Luminaria jugiter fovenda ante Hoſtiam conſecratam ac Sanctorum Reliquias & Imagines, vel ad aliud Choragium aut Chorale; nam quicquid ceræ & olei & pecuniæ in illa nugamenta olim impendebatur, cedit nunc in ſtipendium Paſtorũ Urbis, ad quod liberaliter Capitula ſatis magnam ſummam quotannis conferunt, licet omnes ſuos alumnos nõ ęque gratos experiantur: quod enim S. P. Capitulares confert hîc cum mendicis, qui emendicati panis, partem objiciunt canibus, & ineptè ex ſuo Protocollo *Conſ. Theol. p. 2. pag.* 16. eo traducit proverbium Germanicum, de eo qui nummum dat S. Martino, & equum ejus abducit, (cujus Proverbii uſurpatio in horum Theologia, ſapit *Idololatriam participatam*) partim calumnioſum eſt in D. D. Capitulares, ac ſi quicquam abſtulerint Eccleſiæ Orthodoxæ & Reformatæ; partim injurioſum in R. R. ipſos Paſtores, ad quorum ſtipendium illi liberaliter conferunt, ac ſi canes eſſent mordaces & Cerberi rabioſi, quibus placandis & demulcendis hæc offa objicienda foret: Vel ad quidpiam Eccleſiaſticũ & Spirituale, ſenſu Pontificio; nam Religionem Reformatam & profitentur & profiteri debent; hanc verò profiteri, eſt omnem Pontificiam Superſtitionem, Spiritualitatem, Idololatriam, Hypocriſim, abominari: Vel denique ad Tonſuram Clericalem; nam qui primi ſubierunt hęc Capitula ex Ordinum collatione, poſt Libertatem vindicatam, nempe Antonius ab Alwin, filius Dom. de Brackel, 9. Julii 1580. & Joannes ab Alendorff, cujus pater erat Principis Auriaci Magiſter Aulæ, & benè de illo meritus in rebus bellicis, 13. Aug. eodem anno, per Ordinum reſcripta debuerunt recipi ille in Capitulo Veteris Monaſterii, hic in Petrino, *ſecundum Statuta & Conſuetu-*

dines

dines ſuarum Eccleſiarum reſpectivè, *id ſolum excepto*, **uytgeſondert allenlijck**/ quod non fuerint obligandi ad *tonſuram clericalem* ſuſcipiendam, **ofte diergelijcke Ceremonien van die Kercke t'onderhouden**/*aut ſimiles Ceremonias illius Eccleſiæ obſervandas*: Nec dubium quin ad omnes deinceps Reformatos hæc Collegia ſubeuntes, extendi debuerit & extenſum fuerit, id quod tam expreſsè ſtipulatum fuit pro illis primis. Ex quorum exemplo obiter patet, quam fabuloſa ſit narratio Poſtmonitoris illius contra me, de quo jam ante dicebam, qui *pag.* 86. fingit quod demum *tempore Remonſtrantium*, *Reformatus quidam Canonicatum pro filio ſuo acceperit*, *idque ex conſilio N.N. Concionatoris Remonſtrantici*, & inde hoc exemplum alii ſequuti ſint; cùm diu ante illa tempora & ſtatim ab initio Canonicatus conferri cœperint abſque ſcrupulo, filiis primariorum ex Nobilitate Reformata virorum & de Rep ac Eccleſia benè meritorum. Quare ſupereſt ut Canonici non jurent in alia Statuta & Privilegia, quam quæ ſpectant ordinem & decorum ſuorum Collegiorum, Temporalia ſua bona, & axioma illud Politicum quod ipſis convenit in Provincia. Nec quicquam poſſim ariolari quod in tali juramento carpi queat; ſi præſertim meminerimus regulæ quam nobis proponit circa talia Guillelmus Ameſius, Theologus Religioſiſſimus, & quem nemo ſuſpicabitur Eurypylum aut laxum Caſuiſtam fuiſſe: Is ergo ex profeſſo tractans caſus conſcientiæ occurrentes circa materiam Juramentorum, & expendens hanc Quæſtionem, *An ſtrictè ſemper ſint accipienda verba juramenti prout ſonant*, inter alia monet quod *in juramento ſubintelligi ſæpè debent conditiones illæ quæ ex more & conſuetudine recepta concipi præſumuntur ab iis ad quos juramentum ſpectat*; & nominatim quod *qui jurat ſe ſtatuta alicujus ſocietatis ſervaturum, ſubintelligere judicandum eſt prout illa ſtatuta ſunt in more poſita & approbatâ conſuetudine obſervantur.* Ex quo axiomate liquet evidenter, quid judicandum de juramento Canonicorum circa Statuta & Privilegia ſuorum Capitulorum, videlicet illud præſtari circa illa Statuta & Privilegia, non prout obtinebant ſub tenebris Cimmeriis Papatus, ſed prout hodie poſt Reformationem, ex Ordinum decretis ſunt in more poſita, & approbatâ conſuetudine vigent ac obſervantur: Ut Juramentum hoc omninò licitum debeas fateri, niſi ſimpliciter aſſerueris hæc Colle-

gia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

gia eſſe penitùs illicita, ut meus ille Poſtmonitor *pag.* 86. dicit ea *reſpectu Politiæ* eſſe *malum neceſſarium*; cùm tamen ipſo-met fatente *pag.* 85. pertineant ad *fundamentale & ſtabilitum regimen* in Politia, itque, ut agnoſcit *pag.* 87. *authorizata connexio* illa *Regiminis Politici cum ſpecie aliqua aut relicta denominatione veteris Eccleſiaſtici.* Quæ quam nihil revera Eccleſiaſticum importet, viſum abundè: Hæc verò Collegia illicita ſimpliciter facere, & *malum neceſſarium in* Rep. appellare, illi ſoli meo iudicio poſſunt, qui *dominatum aſpernantur & dignitates vituperant*, ut Judas Apoſtolus loquitur epiſt. ſuæ com. 8.

Hoc verò Ameſii teſtimonium, eo uſque urſit noſtrum S. P. ut conetur illi omnes rabularias, quas poteſt, exceptiones opponere: Sunt illæ tres numero: Primò ait Ameſium loqui de Collegiis licitis, hæc autem eſſe prohibita & illicita. Sed hoc non tam eſt cavillari, quam calumniari: Nam ea licita eſſe, ſufficienter demonſtravi; & tantum abeſt, ut ſint authoritate publicâ prohibita, ut è contrario, quicquid eſt authoritatis publicæ in illa Provincia, ab ipſis, pro ſua parte, tanquam Supremis Dominis cum aliis duobus membris, manet & derivetur. Deinde vult ſibi probari Decanos Capitulorum eſſe Magiſtratus, & jus habere juramenta hæc exigendi. Sed id juris habent ferè ubique omnia Collegia licita, ut nemo illa ſubeat quin juret in eorum Statuta; Et Decani in illa Provincia ab aliis reliquis membris agnoſcuntur Præſides eorum Collegiorum, penes quæ ſecum eſt ſuprema & autocratorica Majeſtas in Republica. Denique petit ſibi demonſtrari quod hæc Collegia communibus ſuffragiis reſtituta ſint, **met gemeene stemmingen herſtelt zijn**: Sed non debuerunt reſtitui communibus ſuffragiis, quæ ſemper permanſerunt in ſuo eſſe, & quæ per Unionem Ultrajectinam, ex communi omnium Provinciarum Fœderatarum calculo, remanere debuerunt: Unde etiam à reliquis Provinciæ Ultrajectinæ membris, pro legitimis, & ſupremo Magiſtratu ſecum, agnoſcuntur & habentur. Quod ſpectat autem loca ſui Protocolli, ideſt *Conſ. Theol. p.* 2. *pag.* 266. & 217. ad quæ provocat, ut ſunt in ſe ἀπροσδιόνυσα, nec ſpectantia hanc quæſtionem de Juramentis, ita ex iis quæ ſuo loco dicta ſunt à nobis, facilè refutata intelliguntur. Non opus fuit Ordines Ultrajectinos in *actu ſignato*, ut lo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

ut loquuntur in Scholis, declarare Præbendas à ſe poni in libero commercio, ceu pertinentes ad Collegia nunc merè ſæcularia; Satis fuit id ab ipſis ſtatui in *actu exercito*. An verò libertatem reliquerint Theologis, non tantum contrarium ſentiendi, ſed etiam ſuæ ſententiæ publicè contradicendi, eò quod Rex Galliæ permittat Reformatis adverſus ſe ſentire de Papa, & Turca licentiam faciat Chriſtianis à ſe diſſentiendi circa doctrinam Mahumetis, quæſtio eſt non ſolum otioſa ad noſtram Controverſiam, ſed in ſe multifariàm odioſa, & quam ita prolixè, & per tam iniquas comparationes Doctiſſimus ille Conſultor *pag.* 266. 267. 268. 269. non tractaſſet, niſi ſibi omnia & in omnes licere exiſtimaſſet, nec tam ſe ſubeſſe, quam præeſſe in illa Provincia, ex Archiepiſcopali forte titulo, arbitratus fuiſſet. Quæcunque autem dicuntur, ſcribuntur, ſtatuuntur, adverſus Canonicos & Capitula, ſcribi, ſtatui, dici, contra D. D. Electos & primum illius Provinciæ membrum, & alibi ſuo loco demonſtravimus, & tam perſpicuum eſt, quam abſurdè iſta ab S. P. hoc loco interſeruntur. Sed omninò hic deflexit à ſua helice, & ne omitteret in bellulo hoc ſcripto paginas quæ illi conſarcinando fuerant aliunde deſignatæ & ſubvirgulatæ, eas maluit hîc inter ſua impertinentia collocare, quam penitùs negligere.

Prout autem Canonicorum Juramentum eſt omninò legitimum quoad ea quæ jurant, ſic non poteſt illis crimini verti quod nonnulli jurent tacto Evangelio, quod tamen non fit, niſi in uno aut altero ex quinque Capitulis, & in nullo, ut perperam antea ſenſeramus, ſub illa formula, *Ita me Deus adjuvet & hoc ſanctum Evangelium*; ſed tantum ſub iſta Chriſtiana, ordinaria & recepta inter omnes Reformatos, *Ita me Deus adjuvet*: Quanquam nec tanti foret, ſi priſcam formulam, quæ adhuc dicitur eſſe Batavodurenſium, retinuiſſent, *Ita me Deus adjuvet & hoc Sanctum Euangelium.*

Video quidem nonnullos hanc formulam improbare, ceu aliquid ex priſca ſuperſtitione redolentem; Sed poteſt cenſeri ex parte execratoria, ut qui ſic jurat renunciet Dei auxilio & beneficio Gratiæ quod in Euangelio proponitur, maximè in die illo quo Deus judicabit occulta cordium ſecundum Euangelium, caſu quo ſciens volens pejerarit aut fidem fefellerit. Nec dubium quin pertinuerit ad inculcandam

religio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

religionem juramenti, ritus ille tangendi Dei Verbum inter jurandum, quomodo Magiſtratus Genevenſis pronuncians ſententiam aliquam capitalem, curat aperiri Sacra Biblia coram ſe, & ſententiam hac ferè formula ab Actuario legi, *Noſſeigneurs les Syndics &c. ſeants ſur le throne de leurs predeceſſeurs*, *ayans Dieu & ſes ſainctes Eſcritures devant les yeux &c. Domini noſtri Syndici &c. ſedentes ſuper throno prædeceſſorum ſuorum & habentes præ oculis ſuis Deum & ipſius Sacras Scripturas*, hoc vel illud ſanciverunt: Ethnici jurabant extis aut aris tactis; Famulus Abrahami ipſi juraturus, manum ſuam illius femori ſubjicere debuit, Sed Chriſtiani, etiam ante fundationes Ultrajectinas, in uſu habuerunt jurare tactis Bibliis aut Euangeliorum libro, quod ex Chryſoſtomo & Sozomeno probat Balduinus Theologus celebris *lib.* 2. *de Caſibus Conſc. cap.* 9. *caſu* 6. Agit & de eodem ritu Tholoſanus *lib.* 50. *Synt. juris*, *cap.* 8. *n.* 10 Nec Aretius noſter *in probl. loco.* 108. improbare videtur quod juſſerat Juſtinianus in Authenticis, jurandum eſſe per Euangelia, ſive propoſitis Euangeliis Sanctis, ut pote quæ ſint indubiæ & divinæ Veritatis. Imò ſi ſpectemus alios ritus jurandi, etiam qui inter nos magis recipiuntur, aliquid myſtici & Doctrinæ Euangelicæ continere deprehendentur; Alicubi tres digiti eriguntur, pollex, index & medius, quaſi in agnitionem S. S. Trinitatis, Alibi duo tantum digiti attolluntur, quaſi in confeſſionem Chriſti θεανθρώπου, in quo duæ naturæ, divina & humana, hypoſtaticè conjunguntur: Hinc de Jacobitis in Oriente, quod ſint Monophyſitæ & Eutychiani, refert ex aliis Brerewoodius *de Ling. & Relig. cap.* 21. eos ſignum crucis uno tantum digito facere, cùm alii Orientales Chriſtiani ſe ſignent duobus digitis, in confeſſionem duarum naturarum. Igitur cùm ille contactus Euangelii aut Sacræ Scripturæ nihil per ſe vitii importet, & pertineat ad ſolemnitatem juramenti, ut alicubi ſolet præſtari de geniculis quia eſt actus Religionis, oporteret eos eſſe valde ſcrupuloſos, qui cùm nihil præterea queant improbare in Canonicorum inſtituto, grande piaculum in hoc eorum juramento ſibi imaginarentur, poſito quod præſtaretur ſub iſta formula. Sed cùm nequidem apud illos obtineat, non poſſunt Calumniatorum notam effugere, qui ut Capitulares Ultrajectinos reſpectu ſui juramenti gravarent, voluerunt perſuadere po-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

pello, cui credunt placere quas faciunt fabulas, eos jurare juxta veterem formulam Batavodurenſem, æquè forte Batavoduri abrogatam & ceſſantem ac Ultrajecti.

Stet ergo & hoc argumentum pro noſtra ſententia circa iſtam Quæſtionem. Illi licitè ſua Beneficia poſſident Ultrajecti & ſubeunt Capitula quæ ibi ſunt, qui licitè jurant quoad materiam & formam in Statuta & Privilegia illorum Capitulorum, ceu Authoritate publicâ conſtabilita ac merè Politica, & nihil Superſtitioſi, Idololatrici, Eccleſiaſtici, aut vitioſi continentia: Atqui Canonici Ultrajectini licitè jurant & materialiter & formaliter in Statuta & Privilegia Capitulorum ſuorum; Ergo licitè ſua Beneficia poſſident. Nec debeo morari, quod S. P. per modum Retorſionis aſſerit, nullâ tamen additâ voculâ quâ fidem faciat ſuæ aſſertionis, juramentum Canonicorum peccare in materia & in forma, quod præſtetur pro Statutis & Privilegiis Capitulorum, quæ nullâ publicâ authoritate, ac, ut loquitur, **Stats gewyſe**/ ſunt conſtabilita, tanquam Collegia pura puta Sæcularia, Politica, ac Reformata, nihilque Superſtitionis Pontificiæ retinentia. Tam enim certum eſt non alio loco haberi hæc Collegia in illa Rep. vel eo maximè quod nulli niſi Reformato & Orthodoxo ea ſubire licet; quam Solem lucere in meridie.

CAPUT DUODECIMUM.

Continens Argumentum decimum deſumptum ab inteſtabilitate eorum teſtium qui agminatim producuntur contra Canonicos, & authoritate eorum qui pro illis adferuntur, cum totius Quæſtionis Concluſione.

Quamvis quæ hactenus ſunt propoſita, plenè ſufficiant adſtruendæ affirmativæ noſtræ circa hanc Quæſtionem, quoniam tamen hoc ſæculo, apud plures, qui præjudiciis potiùs reguntur, quam recto utuntur judicio, pluris fit teſtimoniorum & citationum farrago, quam pondus rationum, aliquid ſuperpondii loco debeo adjicere, ex ſaniorum Theologorum mecum conſen-

conſenſu hac in parte, & unà oſtendere quam ſint inteſtabiles omnes illi teſtes, qui per turbam contra Canonicos Ultrajectinos producuntur; Non repetam hîc judicium integræ Synodi Nationalis Belgii de hoc ipſo caſu, quod eſt totius quæſtionis deciſivum; Non inculcabo quæ ex Calvino, Melancthone, Pleſſæo, Hoſpiniano & aliis, ſuperiùs inſperſi; Non etiam me macerabo in evolvendis omnibus omnium Gentium Scriptoribus, quos fateor meam Bibliothecam non capere, qui hac de materia, vel datâ operâ & ex profeſſo, vel obiter & incidenter, aliquid fuerint conmentati: Sed ſpeciminis gratiâ delectum habebo paucorum è multis, quorum Celebritas & Eruditio in noſtris Eccleſiis magis agnoſcitur.

Faciam initium ab Auguſtino; Is, teſte Poſſidonio *in illius vita, cap.* 23. *dum forte ut aſſolet de poſſeſſionibus ipſis invidia Clericis fieret* (quæquam tunc exiguæ eſſent, ſatis conſtat omnibus) *alloquebatur plebem Dei, malle ſe ex collationibus plebis Dei vivere, quam illarum poſſeſſionum curam vel gubernationem pati, & paratum ſe illis cedere, ut eo modo omnes Dei miniſtri viverent, quo in veteri teſtamento leguntur altari deſervientes de eodem comparticipari.* Et quam parum tales poſſeſſiones curaret, patet *ex can. Quicunque, c.* 17. *q.* 4. *Quicunque vult exheredato filio heredem facere Eccleſiam, quærat alterum qui ſuſcipiat, non Auguſtinum, imò Deo propitio non inveniet. Quam laudabile factum ſancti & venerandi Epiſcopi Aurelii Carthaginenſis? Quomodo implevit os omnium qui ſciunt laudibus Dei? Quidam enim cùm filios non haberet neque ſperaret, res ſuas omnes (retento ſibi uſufructu) donavit Eccleſiæ; Nati ſunt ei filii poſtea, & reddidit Epiſcopus nec etiam opinanti illi quæ donaverat; In poteſtate habebat Epiſcopus non reddere, ſed jure fori, non jure poli.* Hieronymus *in Can. Clericus,* 82. *q.* 1. omnes *poſſeſſiones* abrogat Clericis; *& ſi ego,* inquit, *pars Domini ſum & funiculus hæreditatis ejus, nec accipio partem inter cæteras tribus, ſed quaſi Levita & Sacerdos vivo de decimis, & altari ſerviens altaris oblatione ſuſtentor, his contentus ero.* Quo etiam nomine noſter Innocentius Gentilletus in *Apologia pro Ref. Gall. cap.* 15. probat Eccleſiaſticos, nullos fundos debere poſſidere, nec alia bona temporalia, ſed tantum decimas & oblationes. An ergo bonis verè Eccleſiaſticis, annumerabuntur latifundia & prædia illa perampla, quæ malis artibus & con-

tra Canones, ſibi comparavit Clerus Pontificius, ut illa neceſſariò debeantur exacto Papatu Eccleſiæ Reformatæ?

A Veteribus tranſeam ad Neotericos. Lambertus Danęus *Iſag. p.* 4. *lib.* 1. *cap.* 4. ſic loquitur; *Illud verum eſt, tunc in Dei Eccleſiam ſeminatum eſſe venenum, quum tot opes & divitiæ conceſſæ ſunt Eccleſiis: Nam inde omnis ambitionis & avaritiæ & contentionis fons inter Paſtores Eccleſiæ materiaque exorta eſt, ut facilè colligere eſt ex iis exemplis quæ ſequuta ſunt, & ex Syneſio in epiſt.* 67. *Ergo furtivum eſt, aut potius vi Imperatoribus ablatum, illud omne quod Petri Patrimonium appellatur.* Cur non idem ſtatuamus de Patrimonio Martini Ultrajecti? Ibidem quoquè ſtatuit hæc bona corraſafuiſſe *ab Epiſcopis, ex ambitione mera & avaritia, qui etiam ut ſuo illi maleficio colorem & honeſtum titulum quærerent & prætexerent, impiè dixerunt illa bona eſſe pretia peccatorum, & dari pro redemptione animæ. Vtrumque vero falſiſſimè & in Chriſtum injurioſè*: Et *cap.* 6. *Si quo illegitimo inhonoſteque modo ea bona venata ſit Eccleſia, ea retinere neque debet, neque etiam jure poteſt*: Quomodo ergo tanquam ſua ac ſibi debita queat hodie repetere Eccleſia Reformata, illa bona quæ conſtat Clerum Pontificium quondam illegitimo inhoneſtoque modo venatum fuiſſe? Quare cùm dixit *cap.* 5. *bona Eccleſiaſtica, unde veri Paſtores aluntur*, illis adimi non poſſe à quoquam ſine ſacrilegio, nihil minus quam de bonis Pſeudo-Eccleſiaſticis Pontificiis loquutus eſt. Tilenus item *de orig. & inc. Bon. Eccl.* §. 19. *Gliſcente ſuperſtitione, cujus æſtro vulgus eſſaſcinatum exiſtimabat nullum eſſe tam atrox ſcelus aut turpe flagitium, quod ejuſmodi donariis expiari non poſſet, nullis deinceps aggeribus aut molibus reprimi potuit exundantium largitionum impetus, quo tanquam decumano fluctu bruta ac peſſundata fuit Eccleſia, ut à nonnullis Patrimoniorum ſcopulus appellata fuerit, ac ſpirituale ejus decus in profanæ Monarchiæ ſplendorem ac luxum degeneraverit, nimiſque verè dictum, Religio peperit divitias, ſed filia devoravit matrem.* Et has opes, ceu bona Sacra, verè Eccleſiaſtica, Patrimonium Chriſti conſtituentia, Eccleſiæ Reformatæ ipſo jure debita, adhuc diceremus?

Quod ſi propiùs ad ipſos Canonicos Reformatam Religionem profitentes accedamus, Fridericus Balduinus Wittebergenſis Theologus, hunc caſum tractans ex profeſſo ita loquitur, *lib.* 4. *cap.* 4. *de conſc. caſu* 3. *Quod Canonicos pios & regularum* (divinarum ſcil.) *obſer-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

vantes attinet in Eccleſiis Reformatis, h. e. Auguſtanæ confeſſioni invariatæ addictis, etſi neque concionando in Templis, aut docendo in Scholis, Eccleſiæ inſerviunt, aliàs tamen Verbum Dei diligunt & libenter audiunt, neque ctio & ignaviâ tempus terunt, ſed vel literis operam navant, vel in Politico aliquo munere proximo ſerviunt, vel ut boni Patresfamiliàs familiæ ſuæ benè præſunt, & alias vitam honeſtam & inculpatam coram mundo agunt, hi ſanè in vitæ genere Deo grato vivunt, in quo Deo precibus & hymnis ſuis, Eccleſiæ ſtudiis pietatis & adminiſtratione bonorum Eccleſiaſticorum, proximo conſiliis re & opere inſerviunt. Etſi enim Deus ipſe Canonicorum ordinem nuſpiam inſtituit, nuſpiam tamen legitur in Scriptura eum ut impium & diabolicum (ut nonnulli vocant) improbaſſe & damnaſſe; ſed ut alius liber ſtatus & ἀδιάφορος vitæ humanæ conditio retinetur; Siquidem fundatores Canonicatuum tantas opes ideo contulerunt, ut eſſent ſemper in promptu Viri non tantum in Eccleſia ſed etiam in Rep. utiles, ut conſervarentur familiæ, & Eccleſia ſemper haberet ſuos patronos & nutritios: In quem finem etiam Principes, Comites & Barones, quorum opera aliàs in miniſterio Eccleſiaſtico rara eſt, Præbendis illlis fruuntur. Ibidem quoque docet quod Canonici *vulgò Spirituales,* die Geiſtlijcken / *appellentur, licet non ſint vocati atque ordinati ad miniſterium Verbi,* cùm *neque etiam Canonicatus in hunc duntaxat finem inſtituti ſint,* quare *Canonicatus ſimpliciter pars miniſterii Eccleſiaſtici eſſe nequit.* Plura eò pertinentia apud eundem legantur. Hæc ſanè Theologi, fortè juſto liberaliùs ſentientis de iſtorum bonorum conditione & natura, talia ſunt, quæ applicata D. D. Canonicis Ultrajectinis ampliùs adhuc illis tribuent quam facimus, & per eos etiam fundatorum intentioni inſiſti demonſtrabunt.

His poſſem addere teſtimonia illorum ipſorum Celeberrimorum & Doctiſſimorum Virorum, qui tamen hodie vehementiùs videntur Canonicatui ſe opponere, ex quibus conſtat eos *fundamentalem* Fœderati Belgii politiam, in hoc capite impugnare, & optare ejus everſionem & mutationem, etſi profiteantur Theologos *nec velle nec poſſe* eam deſiderare; vixque aliud ſe hîc improbare, quam umbram, ſpeciem, colorem, externam denominationem, regiminis Eccleſiaſtico-Papalis, in quo tamen nihil formaliter Eccleſiaſticum aut Papiſticum eſſe fatentur, Ut Canonicorum ſtatum & conditionem odeint, nec poſſint dicere quare; hoc tantum poſſunt dicere, *non amo te*:

Sed

Sed quoniam ſuis locis pleraque ex iſtis annotavi, quæ ad Antica-nonicorum αυτοκατάκρισιν facere videntur, duo tantum obiter hic veniunt obſervanda, quæ putem ſatis magni momenti eſſe ad hanc cauſam.

Primò enim toti Belgio notum eſt quid circa hetæriam Sylvæducenſem ſuperioribus annis diſputatum fuerit; & quomodo Doctiſſimi Viri, quibus viſum fuit illam impugnare, multo gravius & atrocius peccatum ſtatuebant in facto Procerum Sylvæducenſium, quam in Canonicatuum Ultrajectinorum negotio: Attamen quam extra tetram illam culpam, cujus incuſabantur, fuerint Sylvęducenſes, Synodaliter judicatum eſt, tum à Synodo Gallo-Belgica Ultrajecti celebrata, tum à Synodo Geldrica & illius Deputatis; ac relictâ illius quæſtionis deciſione Synodo Nationali, ipſi Proceres ſunt agniti & declarati admiſſibiles ad omnia Eccleſiaſtica munia, prout de facto plerique ex illis ea porrò ſubinde ſuſtinuerunt ac etiamnum ſuſtinent cum honore & ædificatione. Id probatum dedi luculenter *Vlt. pat. parte 2. per totam.* Hic itaque meminiſſe debemus ejus quod dicunt Juriſ-Conſulti, *Non debet cui plus licet, quod minus eſt non licere.* Nam ſi qui graviùs peccare pronunciabantur, à Synodis ipſis fuêre abſoluti & declarati admiſſibiles ad omnia munera Eccleſiæ, quanto magis abſolvendi, ex illarum Synodicarum deciſionum regula, ii quos multo minus peccare ipſimet eorum Adverſarii confitentur?

Deinde notum quoque eſt quam vexata fuerit ſuperioribus annis Trapezitica quæſtio: Et qui comparationem inſtituerit inter cauſam Trapeziticam & Canonicatuum, fatebitur illam multo graviori præjudicio, quam iſtam preſſam fuiſſe. Nam ſemper Canonici fuerunt admiſſi ad Sacram Cœnam, cùm è contrario à Menſa Dominica Menſarii remoti fuerint; quamvis utrorumque adverſarii ſibi parum conſtantes, hos nonniſi furti ſimplicis, pro ſua humanitate, illos & Sacrilegii & Symbolizationis cum Idololatris, ſoleant accuſare. Quidni ergo, ut jam meritò incipiunt ſubſidere præjudicia quibus Trapezitæ fuerunt prægravati, adeo ut etiam alicubi judicentur admiſſibiles ad Sacram Cœnam, nonobſtante *Rei judicatæ* Deuteroſi, cui Claſſes integræ ſummo merito ſe opponunt, ceſſet pariter præjudicium adverſus Canonicos, ut non minus admiſſibiles ad munera Ec-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

leſiaſtica ſtatuantur, quam ſemper judicati ſunt digni qui Men-
æ Dominicæ accumberent? Et mirum id meritò videatur, ut
ùm duo idem faciunt, tamen non ſit idem: Qui menſę fœne-
oris adminiſtrationi præſunt nomine Magiſtratus, ipſeque Ma-
iſtratus, qui emolumentum omne illius menſæ percipit, citra
crupulum ad Sacram Cænam admittuntur; Ab ea adhuc excluduntur
multis, ij qui jus illud ſibi compararunt à Magiſtratu, etſi in eorum
nenſis non major uſura exigatur quam in illis; quod ſanè προσωποληψ-
ίας evidentis haud immeritò arguebat ὁ πάνυ Salmaſius *de Fœn. Trapez.*
ag. 508. Eodem planè modo agitur cum Canonicis; Si Magiſtratus
mnes Canonicatuum reditus ſuo fiſco ac uſibus Politicis addiceret,
uxta veterem formulam, *Quod non capit Chriſtus, rapit fiſcus*, omnia
enè haberent; nec Theologi, modeſtiores ſaltem, ſibi jus facerent
æc bona repetendi, ceu Sacra & Eccleſiæ debita; aut Magiſtratum
ccuſandi Sacrilegii, quod ea ſibi vindicaret; Aſt quia hos reditus poſ-
ident Collegialiter Canonici, licet & ipſi Supremi Magiſtratus pri-
num Membrum conſtituant, Achanes audiunt, & Sacrilegii publicè
nſimulantur.

Quo major autem fides & authoritas concilietur teſtimoniis quæ
roduxi in hac Canonicorum cauſa, verbo demonſtranda venit in-
eſtabilitas eorum quibus eadem premi ſolet. Non dicam quam multa
oſſent obſervari, vel penitùs falſa, vel perperam allegata in illa mul-
itudine & denſa nube citationum, quarum Doctiſſimi Authores no-
uerunt perituræ parcere chartæ. Clar. D. Schoockius, domo Ultraje-
tinus, nuper admodum publicam illis dicam ſcripſit *trecentorum* men-
laciorum, quæ ipſis in os ſe demonſtraturum profeſſus eſt. Mihi ad fi-
é properanti nec tā duriter agenti, ſufficient ſequentes obſervationes.

1. Univerſaliter ſunt reprobabilia hac in parte omnia Teſtimo-
ia Pontificiorum, & eorum ex juriſtis qui Jure Pontificio & Cano-
ico nituntur; Nam Jus Pontificium eſſe abrogatum in Provincia
Jltrajectina circa hæc bona, imo in toto Fœderato Belgio, ſuo lo-
o probatum dedi; etiam ex nupero libello, qui hac de re re-
ens Ultrajecti prodiit; Et juxta Canoniſtas niſi hæc bona iis demum
edant qui formaliter ſint Canonici ſenſu Pontificio, & cultui illi
dololatrico & Superſtitioſo vacent cui deſtinata ſunt, ſemper Sa-

 crilegii

crilegii accuſabuntur eorum poſſeſſores. Nec difficile foret probare, ſi id nunc agerem, Proceres Fœderati Belgii in genere à Pontificiis Doctoribus ejus Criminis inſimulari, propter talia bona direpta & diſtracta, & aliis uſibus quam Pontificiæ Religionis applicata. Quod ſi qui homines Pontificii, ut jactari video, profitentur ſe offendi de Canonicis Ultrajectinis, quod merè Laici hæc bona poſſideant, cogitemus eos pariliter offendi quod in Templis quondam Miſſificationi deſtinatis, reſonet doctrina Miſſæ contraria, & cultus obtineat planè oppoſitus ei cujus gratiâ extructa fuerant.

II. Si qui Orthodoxi videntur ſtatuere bona Eccleſiaſtica ad uſus Civiles nullâ ratione eſſe applicanda, ſed Eccleſiæ relinquenda & conſervanda intelligendi ſunt loqui in idea de bonis verè & propriè Eccleſiaſticis, ut ſuprà vidimus Danæum ſeipſum explicantem, non verò de iis quæ talia eſſe nequeunt, eo quod malis artibus fuerint adhamata, & Idololatrico ac Superſtitioſo cultui deſtinata; cujuſmodi ſunt pleraque omnia quæ à Clero Pontificio & adhuc poſſidentur alibi, & olim Ultrajecti & in Belgio poſſeſſa fuerunt. Quam autem ad hæc ab illis non procedat argumentum, nemo eſt qui non palpet.

III. Si qui etiam liberaliùs videantur de bonis quondam Eccleſiaſticis in Papatu loquuti, illi ſunt intelligendi non ex lege aliqua communi, perpetua, Divina & naturali, quæ omnes obliget, ſed ex lege aliqua poſitiva & ſpeciali locorum in quibus vixerunt, circa illa ipſa pſeudo-Eccleſiaſtica bona, ſaltem quoad ea quæ *mediata* dicuntur in Imperio; Sic enim, quia ex pace Religionis in Germania videtur conventum, ut bona Monaſteriorum & Capitulorum mediatorum applicentur à Proteſtantibus piis uſibus, contigit ut plerique circa talia inculcarent Jus Canonicum, quod etiam Dicaſteria Germaniæ ſequuntur, ubi de illis Beneficiis venit diſceptandum, & in Proteſtantium Academiis etiamnum publicè docetur. Hinc etiam Lutherani in ſuis Capitulis, quamvis conſtent ex merè Laicis, neſcio quas cantiones Chorales videntur retinere, quas nemo Reformatorum probaturus eſſet in Ultrajectinis. Hinc patet quam non ſint applicabilia huic noſtræ Quæſtioni teſtimonia Theologorum quorundam Germanorum, procedentium ex illa ſingulari ſua hypotheſi, quæ nullo modo ad hoc Belgium pertinet, in quo jus Canonicum non ſer-

vatur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

vatur, & nunquam conventum fuit bona hæc nonniſi piis & ſacris uſibus applicatum iri. Quid quod illa regula, ad quam videntur reſpexiſſe quidam Eruditi, in ſua Germania nunquam debuit extendi ad Collegia & Capitula immediata, (quibus paria faciunt Ultrajectina,) quæ quomodo illic obtineant, lippis & tonſoribus notum eſt. Vitioſum autem eſſe argumentum à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter, vel à particulari ad univerſale, quis dubitat?

IV. Nec etiam teſtari poſſunt in hac cauſa, qui de retinendis & vindicandis in uſum Miniſtrorum Eccleſiæ bonis Eccleſiaſticis, ceu ab ævo illis deſtinatis, loquuti ſunt, ea ſpectantes quæ tacito vel expreſſo conſenſu Supremorum Magiſtratuum poſt Reformationem cœptam Miniſtris Eccleſiæ relicta fuerant, ut contigit in Anglia; ubi hæc ipſa bona Eccleſiaſticis relicta, ceſſerunt illis in laqueum; Nam dum Hierarchici turgent illis opibus, eam ſibi invidiam conflarunt, ex qua penitus de ponte dejecti fuerunt. Et ſanè vix alios quam Hierarchicos inter Scriptores Anglos reperias, querulos fuiſſe de bonis Eccleſiaſticis non benè diſpenſatis & traductis ad Laicos, ex iiſdem principiis Juris Pontificii ex quibus omnem uſuram ſtatuebant illicitam contra Calvinum & Genevenſes, Decimas aſſerebant deberi ſibi jure naturali & divino, & Canones ſuos tyrannicos obtrudebant Eccleſiis, in quorum violatores mulctis pecuniariis & carceribus animadvertebant, & omnem ordinem ac pompam Papatus æmulabantur. Horum autem teſtimonium in propria cauſa, Canonicis Ultrajectinis non obeſſe vel inde liquet, quod poſt Reformationem eorum Beneficia nunquam Eccleſiæ purioris Miniſterio addicta fuerunt.

V. Non poſſunt quoque produci adverſus Ultrajectinos querelæ eorum qui liberiùs invecti ſunt in Magiſtratuum ſorditiem & avaritiam, quod cùm ſuo Fiſco addixiſſent omnia illa bona quondam Eccleſiaſtica in Papatu & illis incubarent, duriùs tamen ac juſto parciùs haberent Miniſtros Eccleſiæ: Quod ſanè excuſari non poteſt. Sed ut in eum cenſum non poſſunt venire R. R D. D. Paſtores Ultrajectinæ Urbis & Provinciæ, qui æquè benè ac honeſtè habentur ac omnes ſui Symmyſtæ toto Belgio, eò quod ipſorum ſtipendiis aſſignentur non ſolum omnes Paſtoratus qui olim in ſua Provincia Papatui erant addicti, ſed multa alia; ita ſi tali querelæ foret locus eorum reſpectu, non

poſſet tamen dirigi in bona Capitulorum ſuorum, quæ, ut in confeſſo eſt, Magiſtratus nunquam fiſco ſuo addixit, aut fecit ſui juris.

Denique non poſſunt validè ullorum teſtimonia proferri in hac cauſa ad gravandos Canonicos Ultrajectinos, quæ repugnent praxi publicæ ſuarum Eccleſiarum, quæ cum Reformatione & per illam introducta eſt. An mihi proferes Belgas? Sed quomodo actum ſit circa bona Eccleſiaſtica in hoc Belgio, novimus omnes. An Germanos? Sed notum eſt Principes per Reformationem manum inieciſſe in bona Eccleſiaſtica, eorumque bonam partem ſuis privatis uſibus aliiſque publicis addixiſſe. Imò per pacem Monaſterienſem, Principes Euangelici, plurima Pſeudo-Eccleſiaſtica bona curarunt formaliter ſæcularizari & ſuis adjici dominiis; eò juſtiùs quod non aliundè quam ex illis bonis potuerint refundi ſumptus, quos in bello ſibi iniquè moto à Pontificiis pro bonis Eccleſiaſticis repetendis, ſuſtinere debuerant.

An Britannos? Sed conſtat quid egerit Henricus VIII. Nam excutiendo Papæ jugum, majorem partem bonorum Eccleſiaſticorum aut ſibi vendicavit, aut inter Nobilitatem ſuam diſtribuit: Conſtat quoque quid ab initio Reformationis circa ſimilia bona inter Scotos evenerit: Conſtat quid tandem in utroque Regno de bonis Eccleſiaſticis hoc noſtro tempore factum fuerit. An Gallos? Sed nunquam Reformati in Gallia putarunt ſibi quicquam juris eſſe in bona Eccleſiaſtica Papatus; nec aliud ex illis unquam petierunt, etiam cùm res eorum erant florentiſſimæ, quam jus Decimas, quas ipſi tenentur pendere Sacrificulis, Miniſtrorum ſuorum ſtipendiis applicandi; quod nunquam conſequi potuerunt: Unde in *Diſciplina Eccl. Ref. Gall. cap.* 14. §. 20. ſtatuitur quod licet Sacrificuli nullo jure Decimas exigant, nihilominus ſint perſolvendæ, quò Regi obediatur, & vitandi ſcandali cauſâ.

Et cùm videam etiam nonnulla ex Eccleſiarum Galliæ Decretis proferri contra Canonicos, duo ſunt quæ velim obſervari hac in cauſa, pro ipſis è contrario plurimum facientia. Prius eſt, quod Eccleſiæ Reformatæ in Gallia ſemper cenſuerunt, nefas eſſe fidelibus, præſertim Eccleſiæ Miniſtris, ullum poſſidere beneficium cum reſpectu ad Spiritualitatem Pontificiam, & quod ex ſe inferret obligationem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

tionem cultus illiciti: Hinc eſt quod Calvinus *epiſt.* 374. illicitum eſſe putat fidelibus *beneficia illa Papatus quæ vocant retinere, vel de illis negotiari; Crimen eſt enim,* inquit, *quod Chriſtianiſmo disertè repugnat, ſi quis ſeſe talibus Sacrilegiis contaminet.* Atque ideo Synodus Nationalis Pictavii celebrata anno 1560. ſanciebat Curiones & alios Beneficiatos, poſt admiſſam Orthodoxiam, non debere ampliùs ſuorum Beneficiorum reditus percipere; imo nequidem ea vendere aliis in Papatu, & pretium in rem ſuam convertere: Illius ſeveritatis ratio non fuit quod hæc Beneficia eſſent Eccleſiaſtica & Miniſtris Eccleſiæ debita; nam eo potiori jure Curati vel Curiones illi facti Reformati, ea retinere debuiſſent: ſed è contrario quod eſſent *Sacra* ut auri ſacra fames, ideſt Idolothyta, & talia quæ citra Idololatrici cultus tacitam approbationem, etiam ab iis qui illum improbabant, poſſideri non poſſent. Alterum eſt quod citra illum reſpectum, bona Pſeudo-Eccleſiaſtica Papatus, poſſent abſque ſcrupulo poſſideri à Laicis, variis caſibus, maximè Collationis Regiæ: Sic Abbatiſſa Paracleti cum omnibus ſuis quondam Monialibus per illam traductis ad cognitionem & exercitium publicum Religionis Reformatæ, manſit in ſuorum redituum poſſeſſione; & Cardinalis Caſtellionæus, licet cum ſuis fratribus Sacra noſtra publicè profiteretur, ſua tamen Beneficia & ſuam purpuram ſemper retinuit. Et ſatis diu Prioratus Doncherianus, magnos complectens reditus, ex liberalitate Regia fuit addictus Domui Buillioneæ, Religioni puriori addictiſſimæ. Quin Synodus Nationalis Sanmaxenti celebrata anno 1609. judicavit fas eſſe viris militaribus, qui ob vulnera accepta in bello, Regiâ liberalitate ex variis Beneficiis Eccleſiaſticis & Præbendis alebantur, & equites S. Lazari vulgò nuncupabantur, crucem in pallio geſtare, (quod ſanè in medio Papatu videbatur multo gravius, quam nuda nomina illa retinere inter Reformatos, quæ carpuntur in Canonicis Ultrajectinis) additâ per Synodum hac ſui judicii ratione, quod illam crucem ferrent *non in notam ſuperſtitionis, ſed in ſignum ſuæ conditionis:* Annon idem planè dici poſſet de Canonicis Ultrajectinis, & iis nominibus per quæ eorum conditio innoteſcit? Hîc ſanè pluribus poſſem oſtendere, ſi opus foret, & ex praxi Eccleſiarum Reformatarum in mea Patria, & ex earum Decretis & Diſciplina, nunquam apud eas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

creditum fuiſſe bona Eccleſiaſtica Papatus, non poſſe poſſideri à Laicis, ſi nullam ſonarent ſubjectionem Papæ, & obligationem cultus illiciti: Sed ſufficiet ad hanc rem quod extat *Diſcipl. Eccl. Gall. cap.* 14. §. 1. ubi poſt prohibitam redemptionem & acquiſitionem Beneficiorum per Bullas Papales, & omnem conſervationem cultus Idololatrici, ſtatuitur in hæc verba; *Sed quoad Beneficia quæ alicui conferuntur jure Patronatus*(quibus addunt Synodi Nationales, Montalbanenſis nominatim anno 1594. ea quæ obtinentur *Collatione Regis*) *ſive præſentatione Domini Patroni Laici Parochiæ, ſive interpoſitione Epiſcopi, monentur fideles ne ullum tale recipiant quod ſibi offerretur ſub conditione tacita vel expreſſa alicujus cultus Idololatriæ debiti.* Hic ſanè Canon agit de Beneficiis Eccleſiaſticis in Papatu; agit de illis poſſidendis ab aliis quam à Miniſtris Eccleſiæ; agit, quod magis eſt, de illis ad quorum collationem ipſe-met Epiſcopus Pontificius interveniret; Eorum tamen poſſeſſionem cuilibet fidelium in ſuos privatos uſus licitam facit, modò poſſeſſor nullo vinculo ad cultum illicitum obſtringatur. Quod eſt iterum Eccleſiaſticè decidere cauſam Canonicorum Ultrajectinorum, ut factum fuit à Synodo Medioburgenſi; adeoque inteſtabiles contra eos declarare omnes illos Authores, qui tanta cum pompa, ſed exili cum fructu, contra eos producuntur. Si ullus fuit veterum & recentium Canonum promus condus, is fuit David Blondellus, dum viveret Amſterodami Profeſſor Celeberrimus, & toto literato orbe notiſſimus; Habeo autem penes me & ad me ſcriptas 22 Feb. 1652. ejus literas, in quibus inter alia varia ad communia ſtudia ſpectantia, ſic loquitur, ſi Gallica ipſius verba Latinè reddantur; *Vehementer dolui tam malè habitum Ultrajecti D. Schoockium, cui placuit ſua duo ſcripta mihi mittere; Sum in illius ſententia* (de Canonicis ſcilicet) *quoad rem ipſam; Sed quaſdam immiſcet particularitates de quibus non poſſem cum ipſo convenire;* &c. Neque dubitem quin ex illius opere contra Bullam Innocentii, Paci publicæ oppoſitam, (cujus jam tum ſcribebat decem philyras excuſas eſſe) facilè conſtaret, ſi proſtaret integrum, eum non aliter quam nos de iſtis bonis ſenſiſſe aut ſtatuiſſe: Nec proculdubio fuit alia mens R. admodum & Doctiſſimi Viri, D. Jacobi Stermontii, apud Hagienſes Eccleſiaſtæ Facundiſſimi, qui malis artibus tentatus num vellet ſubſcribere *Conſilio*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

Theologico contra Canonicos Ultrajectinos fabricato, abſolutè recuſavit, c noluit promittere ſe concionaturum publicè juxta illius Conſilii doctrinam ſi Ultrajectum vocaretur; unde illicò fuit ei prædictum ab llo homine, cujus operâ ad id tentabatur, eum in æternum non futurum Paſtorem Ultrajecti; Eſt apud me exemplar teſtimonii publici, quod hac de re tota Vir ille Reverendus perhibuit & ſolemni uramento confirmavit coram Magiſtratu Hagienſi, 23. Sept. 1655. Nec defuit eventus prædictioni; quod ex Actis ipſis Presbyterii Ultrajectini, circa illius vocationem anno 1648. ſi hæc res nunc ageretur, facilè poſſem comprobare: adeo ut licet ex pluralitate ſuffragiorum electus fuerit, & tertiâ vice ejus vocatio ab Ampliſſ. Magiſtratu approbata, tamen tantum ei injecerunt faſtidium vehementiores oppoſitiones Anti-Canonicorum, qui omni ope & ſtudio conati unt eam impedire, ut ſibi delatam recuſare quam admittere maluerit. tet itaque pro hac cauſa hoc noſtrum decimum ac ultimum argumentum, cui nihil S.P. opponit præter ſuum ſilentium, & inanem jactantiam, quod illud poſſet in nos converti & ſibi militare, niſi brevitatis ſtudio, ad quod tamen nemo eum conſtringebat, mallet abrumpere; Si teſtimonia quæ protulimus pro Canonicis Ultrajectinis Reformatam Religionem profitentibus ſunt ἐξαγωνία, nec illis ullâ ratione opponenda quæ in contrarium adferri videntur, eorum ſtatus ſive conditio & genus vitæ, nullâ ratione poteſt culpari vel improbari; Sed verum prius; Ergo & poſterius.

Atque ſic putem firmiſſimo talo ſtare meã ad Quęſtionem, quę mihi propoſita fuerat, ſententiam, ac liquidò demonſtratum, citra ullum affectum Odii vel Gratiæ, (à quo tramite me non deflexit S.P. etſi rigidiùs hinc inde coactus ſim in his ſecundis caris adverſus illum & os quibus militat agere) ex ſolo Charitatis ſtudio & amore Veritatis, cujus me eſſe perſuaſiſſimum in mea conſcientia novit Omniſcius, *Virum pium & Reformatum, nullo cæteroquin munere Eccleſiaſtico aut Academico fungentem, poſſe bonâ & illæſâ conſcientiâ uti frui bonis illis quæ Eccleſiaſtica in Provincia Ultrajectina appellantur, etiam ſub titulis Præpoſiti, Archidiaconi, Decani, Theſaurarii, Scholaſtici, Canonici, Capitularis, Præbendarii, Collegiati, Sacriſtæ, Vicarii, & ſimilibus, abſque ullo tamen exercitio directo vel indirecto ſuperſtitionis Romanæ,*

atque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]

atque ſic accenſeri primo illius Reip. membro, quod conſtituunt homines, ex ordine ibi publico & lege fundamentali, juxta quam poſt tempora Reformationis & recuperatæ Libertatis, nemo ad illa bona poſſidenda & ὑπεροχὴν illis annexam ab Ordinibus admittitur, de quo non conſtet eum Reformatam Orthodoxamque Religionem profiteri. Faxit Deus Concordiæ & Pacis ut hęc qualiſcunque mea ad Nominis ſui Gloriam ſuſcepta Scriptio, non diſſidiis ſerendis, aut turbandæ Eccleſiæ & Politię, præter meam omninò mentem, ſed animis potiùs antea diſſidentibus inter ſe conciliandis, & ad mutuam fraternarum infirmitatum tolerantiam componendis queat inſervire; Quod opto & voveo. AMEN.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
297 D 4 [1]